













XXXVIIII

ZEN.
POG.
VAR SIG. V. Nicol.
ALB

VITA B. MEM.

NICOLAI ALBERGATI CARTHVSIANI, EPISCOPI BONONIENSIS, S. R. E. TIT. S. CRVCIS CARDINALIS, ET SVMMI POENITENTIARII,

CONSCRIPTA OLIM

A TRIBVS CELEBERRIMIS VIRIS,
Jacobo Zeno, Poggio Florentino, &
Carolo Sigonio;

NVNC AVTEM ADDITIS SEPTENDECIM CELEBRIVM SCRIPTORVM, QVI EIVSDEM CVM SANCTITATIS laude meminerunt, testimonijs, in lucem edita

P E R

F. GEORGIVM GARNEFELT CARTHVSIANVM Coloniensem.

ACCESSIT ETIAM TESTIMONII LOCO
HISTORIA DE IMAGINE B. M. VIRGINIS, A S. LVCA DEPICTA, ET IN MONTE GVARDIAE PROPE Bononiam miraculis coruscante,

AVCTORE ASCANIO PERSIO.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCHIVM, sub Monocerote.
Anno M. DC. XVIII.

Superiorum Permissu.

CENSVRA.

Liber hic, qui exhibet Lectori res sanctè & praeclarè gestas B. Nicolai Albergati Carthusiani, ac Episcopi Bononiensis, Cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem, à diuersis ijsq; celeberrimis auctoribus scriptas, ac à R. D. F. Georgio Carthusiano Coloniensi collectas, cum adiuncta Historia de S. Imagine Deiparae Virginis à S. Luca depicta, & ad Montem Guardiae prope Bononiam asseruata, autore Ascanio Persio, nihil habet, quod sanae doctrinae, aut bonis moribus aduersetur; quin potius omnibus cum B. Nicolao in pari dignitate constitutis, viuum Episcopalis functionis exemplar exhibet, & omnes Christifideles ad debitam Deiparae Virginis venerationem inuitat. Quare dignus est, qui ad multorum profectum typis mandetur. In quorum fidem (postquam ad petitionem admodum R. P. F. Cosmae Morelli, SS. Theologiae Professoris & Inquisitoris Apostolici hunc librum legissem) censuram hanc manu propria subscripsi, Coloniae Anno 1618. die 22. Maij.

Theodorus Geuelsbergh SS. Theolog. D.
Pastor B. Mariae ad Indulgentias.

ILLV-



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. SCIPIONI S. R. E. CARDINALI
BORGHESIO, GERMANIAE PROTECTORI,
& summo Pœnitentiario.

SOlent Ill.^me ac R.^me Princeps singula ferè cuiusque corporis membra ex instinctu quodam naturæ pro capite suo conseruando tuendoque ita solicita atque anxia esse, vt pericula, non leuia etiam, promptisimè quandoque subeant.

Et quidem, vt cætera animantia prætercam, de serpentibus ex SS. Patribus tradunt nonnulli, quòd non solùm pugnantes corpus protendant, ac percutiendum exhibeant, quò caput illæsum conseruent; sed dormituri etiam in gy- *S. Aug. libr. 44 ex Mat. & 2. de oct. Christ. 16.*

rum illud contrahant, eoq; tanquã vallo caput circumdent, contraq; imminẽtia pericula, quo possunt modo, sepiãt.

Matt. ca. 10. Horũ cùm prudẽtiam discipulis suis, adeoq; nobis Christus Dominus dicta de causa imitandam proposuerit, certè cuncti Christifideles, mystici corporis membra suũ quoq; spirituale caput ab omni violentia, iniuriaq; vt defendant ac vindicent, neruis omnibus viribusq; cõtendere debent. Hoc etenim cùm vigilet pro illis, præsitq; in Domino, meritò & mẽbra abundantiùs in charitate habere, dictis eius, imò & nutibus obedire, & ad omne opus bonũ, quod ad honorẽ, defensionemq; capitis facere possit, parata esse debent. Quapropter cùm afflictis hisce temporibus cõmune omnium nostrũ Ecclesiæ Catholicæ caput, eiusq; visibilis Rector Christi Vicarius grauiter impugnetur, Petriq; nauicula horrendis vndiq; ventorũ turbinibus, sæuisq; maris procellis à Nouatoribus

Heb 13. 1. Thess. 5. Ad Tit. 3.

paſsim excitatis cõcutiatur, facere non poſſumus, quin tãquam membra, quiq́; in eadẽ verſemur naui, paribus periculis expoſiti, pro virili quiſq; ſua capitis ac naucleri noſtri, ſine quo periclitatur nauis, ſalutem tueri ac propugnare ſtudeamus.

Id quod nũc præcipuè requirit ſæuitia, ac canina rabies nouiſsimi cuiuſdã Apoſtatæ, qui virulentiùs ac perfrictâ magis prę cęteris frõte in Eccleſię caput eiuſq́; mẽbra præcipua, ſacrũ Cardinalium Collegium, & religioſos viros inuehitur ſęuitq́;, nec aliud machinatur, q̃ vt totam Hierarchiã Eccleſiaſticam, velut caſtrorũ aciem ordinatã ſubuertat. *Marcus Anton. olim Archiepiſcopus Spalatenſis.*

Et licèt tam huius, quàm cæterorũ hæreticorũ errores plurimi Catholicorũ ex ipſis fidei principijs, & aliũde deductis argumentis egregiè cõfutauerint, & exploſerint; quoniã tamen vtile eſt, iuxta S. Aug. plures à pluribus cõtra hæreticos fieri libros, diuerſo ſtylo, nõ diuersâ *1. de Trinit. cap. 3.*

 fide,

fide, ideò nõ abs re visum fuit etiam in medium prolatis exemplis, quæ nõ minus sæpè, quã rationes momenti habere solẽt, eosdem impugnare. Exempla aũt ad rem præsentem magis apposita meo iudicio sumi non potuerũt, quàm insignium virorũ sanctitatis splẽdore fulgentiũ, qui præteritis sæculis eadẽ, quæ nos dogmata fidemq; tenuerũt, & eiusdem etiã ordinis ac dignitatis fuerunt, cuius sunt illi, qui modò impugnantur, ac traducũtur. Etenim futurum cõfido, vt qui viuâ voce præclarisq; gestis multa pro S. Sede eiusq; mẽbris præstiterũt, ijdem etiã post dormitionem suam nõ minora exulceratissimis hisce tẽporibus exemplo suo, cõmuniq; sanctitatis famâ, ac nomine Sampsonis instar, qui plures moriens quàm viuens inimicos prostrauit, sint effecturi.

Iudic. 16.

Apertissimè enim sancti illi Nouatores nostros coarguũt mẽdacij, insigniaq; ac perpetua contra eosdem erigunt tro-

phęa, qui nescio quàm non malè sanam ex cerebro suo procudant doctrinam, quibusq; nõ iniurijs ac maledictis S. Sedem Apostolicã, Cardinaliũ Collegiũ, virosq; religiosos proscindãt ac lacerẽt.

Possent quidem exẽpla plura præclarorum virorum ex ampliss. Cardinaliũ Collegio in medium proferri, sed quoniam ego Carthusiani ordinis debitorẽ me agnosco, cui ante omnia etiã seruire cupio, idcirco præstãtissimi imprimis ac pij Cardinalis Nicolai Albergati quõdam Carthusiani memoriam è tenebris eruere, & in lucem producere cõstitui, præsertim cùm tam heroicæ huius viri sint virtutes fortiaque facta, vt similia passim in alijs nõ reperiãtur. Imprimis etenim vius sanctitate vitæ, & erga S. Sedem Apostolicam obseruãtiã nulli fuit secundus, vti labores pro illa exantlati (pręcipuè in octo legationibus, quas summa cũ laude obiuit) & quatuor summi Pontifices luculentissimè testantur. de-

inde ita ſe virtus eius in contubernium diffudit, vt multi egregij viri ex eo, prę-cipuè verò duo ſummi Pontifices prodierint; poſtremò poſt mortē ea ſanctitatis de ipſo ſparſa eſt fama in Romana Curia, vt ipſemet Eugenius IV. Pontifex Romanus eâ permotus, exequijs illius nouo exemplo intereſſe voluerit.

Nicolaus V. & Pius II. teste Sigonio, Bostio, & Platina.

Ita vt ex vita ſancti huius viri, tāquam ex diuino quodā fonte virtutū aquis abūdante ac ſcaturiēte pro ſua quiſq; neceſsitate haurire poſſit. Hinc ſpiritu feruētes, vnde magis ferueſcāt, & inflāmētur; tepidi, vnde incaleſcant; duri, vnde ſalubriter cōpungantur; hæretici, ſi modò ſolitas & heroicas tanti viri virtutes cōtēplari velint, vnde cōfundantur; Catholici, vnde cōfirmētur, habere queūt.

In hac Legati ſummorum Pontificū, Cardinales, Epiſcopi, & Monachi (ſingulos .n. hoſce gradus trāſcurrit, eorūq; munia ſanctè & exemplariter obiuit) oēs denique mortales reperire poſſunt,

quod ſibi imitandum proponant.

Nec mirũ videatur, quòd ex Carthuſiana ſolitudine huiuſcemodi lucubrationes prodeãt; cùm quotquot in ea degunt, libenter ſeſe illius in terra capitis mẽbra fateantur, pro eoq́; quod poſsũt, quodq́; tenentur, præſtare percupiant: quãquam etiam cõgregatio noſtra, quò amplioribus gratijs & priuilegijs à Sede Apoſtolica eſt honorata, eò & libentius ac promptius pro ea laborare ac inſudare debeat, exemplo venerabilis noſtri P. Surij, qui quiete ſuâ & contẽplatione nonnihil poſtpoſitâ, ad Nouatores cõfundẽdos illiſq́; oſtendendũ, quales pareret viros S. Mater Eccleſia (quæ Rom. paret Pont.) quoſq́; fratres & conſortes habeamus (qualibus aduerſarij carẽt) calamum arripuit, SS. vitas geſtaq́; fortia conſcripſit, collegit, & in lucem edidit.

Fecerunt hoc idem ante ipsũ ſanctiſſimi viri, quà verbo, quà ſcripto, vt in oriente Eremitarũ decus ac Magiſter Io-

annes Baptiſta, Antonius, Baſilius, Simeon & Daniel [a] Stylita, & [b] Aphraata, quorũ poſtremus interrogatus à Valẽte Imp. quid Monachus ageret in publico, ſapienter reſpondit ſe ad commune incendium extinguẽdum prodijſſe. In occidente verò plurimi, inter cęteros S. Bernardus, Thomas Aquinas, Antoniꝰ de Padua, alijq; qui ſcientes tempus loquendi, & tempus tacendi, aliquãdo cũ Moyſe mõtis ſummitatem aſcenderũt, vt cum Deo loquerentur, remoti ab hominibus; aliquando verò Deũ pro Deo relinquentes, cum eodem de monte deſcenderunt proximis opem allaturi.

His itaque rationibus quaſi fundamẽtis ſubnixus cum opuſculo hoc, ſeu vita B. Nicolai Albergati à tribus præſtãtiſsimis ac fideliſſimis viris olim cõſcripta, adiunctis per me viginti facilè celebrium auctorum teſtimonijs, qui eiuſdem cũ ſanctitatis laude meminerũt, in lucem prodeo, illudq; Ill.mæ Celſ.

a *Euag. li. 2 c. 10. & Niceph. li 15. c. 22. Sur. 11. Dec.*
b *Theod. in Philet ca. 2. & 8. & Bar. ann 370.*

V. vt cui multis id nominib⁹ debeatur, offero, dedicoq́;. Potuissem quidem eã alicui ex eadem familia tanquam de ordine nostro bene merito dicare; verùm penitiùs mihi rem consideranti visum fuit, non alteri, quàm Germaniæ Protectori à Germano pro Germania vicinisq́ue regionib⁹ susceptos deberi labores.

Accedit quòd vita gestaq́; Cardinalis, Episcopi Bononien. Summi Pœnitentiarij, & acerrimi Sedis Apostolicæ, & Curię Rom. defensoris, vicissim Cardinali, olim Episcopo Bononiẽsi, summo Pœnitentiario, & indefesso labore pro Ecclesia Dei desudanti iure merito cõmendanda viderentur.

Vt igitur C. V. hunc meum laborem æqui boniq́; consulere, exiguũ hoc munus beueuolo animo suscipere, ordinẽq́ue nostrum, & præsertim Carthusiam Colonien. vniuersamque Germaniam sibi commendatam habere dignetur, etiam atque etiam rogo.

Gratia D. N. Iesu Christi Ill.mam Cels. V. multis annis incolumem seruet, ad Ecclesiæ suæ & Germaniæ nostræ honorẽ ac defensionem, perducatque tandem ad ineffabilia gaudia patriæ cœlestis, Amen.

Ita ex totis animi medullis precor & opto, omnesq; mecum, qui hîc in Christo sunt, fratres, Coloniæ Vbiorum, ex Carthusia anno salutis M. DC. XIIX.

Ill.ma & R.ma Cels.nis V.ræ

humillimus ac deuotissimus
in Christo seruus.

F. GEORG. GARNEFELT.

BENEVOLO LECTORI

F. G. GARNEFELT ORDINIS CARTHVSIANI.



Ogitanti mihi vitas quorundam nostri Ordinis sanctitatis nomine celebrium virorum, quæ hactenus ferè latuerunt, in lucem producere, prima se obtulit vita B. Nicolai Albergati, viri Ordinis nostri ante centum septuaginta quinq; annos defuncti sanctissimi: prima inquam, & quidem valdè appositè.

Cùm enim vir ille, vt doctrina, & dignitate (ex monacho enim factus est Episcopus Bononiensis, dein S. R. E. Cardinalis, mox summus Pœnitentiarius) rebusq; præclarè gestis; ita & vitæ integritate ac sanctitate (vt de tempore sileam) facilè fuerit primus, non immeritò vita eius inter eas, quas in publicum dare constitui, primum occupat locum. Quamuis serò ac tardè satis superq; prodeat. Nam si Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis doctrinâ & sanctitate insignis conquestus legitur, quòd tribus ferè lustris nemo extitisset, qui S. Romualdi vitam posteritati commendasset, an non potiore quis iure conqueratur, quòd per triginta quinq; fermè lustra nullus fuerit, qui vitam huius viri à coæuis conscriptam, & hactenus inter priuatos parietes conseruatam, typis vulgari curauerit?

Id igitur dum facio, operam meam nec inutilem, nec ingratam tibi Opt. Lector futuram spero.

Quò autem vnico quasi intuitu videas, quid ea tibi conferat, summatim, quæ hoc opusculo continentur, subijcere placuit. sunt autem hæc.

PRIMO, vita dicti B. Nicolai, vt eam (nisi quòd per me in capita sit distincta,) ante annos 150. & amplius conscripsit Iacobus Zenus Episcopus Feltrensis B. viro coætaneus & familiaris.

SECVNDO, Oratio in funere B. viri habita per Poggium Florentinum Oratorem facundissimum: De quo a vti & de Zeno agit Trithemius de Script. Eccl.

a Vide annotationes nostras vitæ à Zeno scriptæ subiunctas.

TERTIO, vita eiusdem B. Nicolai, prout eam antiquis monumentis adiutus composuit Carolus Sigonius, qui floruit anno Domini 1570. de quo Posseuinus.

QVARTO *præclara testimonia de virtute, prudentia, sanctimoniaque B. Nicolai ex varijs celebribus auctoribus deprompta, quorum primus est.*

1. Franciscus Philelphus *eques auratus & poeta insignis B. viro synchronos.*

2. Blondus Flauius *Secretarius Apostolicus, & historiographus excellens, item synchronos.*

3. AEneas Syluius *B. viri quondam alumnus, & postea Rom. Pont. dictus Pius II.*

4. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, *qui cum B. Nicolao interfuit Concilio Florentino.*

5. Baptista, aliàs Bartholomæus Platina *Apostolicus Abbreuiator, qui floruit anno 1470. De hisce quinq. vide Trithemium de Script.*

6. Paulus AEmylius *historiographus Francorum, qui floruit anno 1520.*

7. Polydorus Vergilius *Anglicarum rerum scriptor, qui floruit anno 1499.*

8. Onuphrius Panuinus *rerum antiquarum indagator solertissimus, qui floruit anno 1566.*

9. Ioannes Nauclerus *Præpositus Tubingen.*

10. Arnoldus Bostius *Carmelita Gandensis, qui floruit anno 1494. de quo Trithemius.*

11. Petrus Dorlandus *Carthusiæ Diestensis in Brabantia Prior, qui floruit anno 1500.*

12. Petrus Sutor *S. Theolog. Doctor & Prior Carthusiæ Parisiensis, qui floruit anno 1530.*

13. Carolus Sigonius *in opere de Episcopis Bononiensibus.*

14. Alphonsus Ciaconus *Dominicanus, qui floruit anno 1590. Ita Posseuinus.*

15. Nomenclator quidam anonymus *Tolosæ impressus anno 1614.*

16. Vizanus *seu* Villanus aut Vigianus Italus, *qui Italicè scripsit.*

17. Ascanius Persius *in historia de imagine B. Mariæ Virginis à S. Luca depicta, & in monte Guardiæ propè Bononiam miraculis coruscante, ex quo quidem testimonium solum ad B. Nicolaum spectans non excerpsi, sed, quia historia breuis est, nec Lectoribus, præsertim Dei ma-*

tris

tris cultoribus, vt arbitror, ingrata futura, eam bonâ fortunâ acceptam integram dedi.

Appendicis loco adiunxi.

1. Tabulam chronologicam *de vita B. Nicolai, quæ seruit loco Indicis.*

2. Cardinales quosdam sanctitate conspicuos.

3. Synopsin Sanctorum Ordinis Carthusiani.

Omnia ad honorem Dei, & publicam vtilitatem; nec enim alia de causa hic à me susceptus est labor; quem si probari cognouero, aliorum insuper Sanctorum Carthusiani Ordinis vitas, quas etiamnum paratas habeo, propediem Deo fauente typis vulgandas tradam; inprimis autem vitam

S. Anthelmi Episcopi Bellicensis,
S. Hugonis Episcopi Lincolniensis,
B. Stephani Episcopi Diensis, *& aliorum nostri Ordinis.*

Salue & vale opt. Lector.




Martinus V. fecit Cardinalē.
Eugenius IV. ad diuersos misit legatum
Nicolaꝰ V. quondā B. viri affinꝰ et familiaris.
Pius II. quondā B. viri scriba et familiaris.
B. Nicolaꝰ Albergat ex carthusiano Epis
Bonon. et S.R.E. Cardinalis tit. S. cruc
et Legatꝰ obiit Anno 1443. 9 Maij



MARTINVS V. PONTIF. MAX.
In Cardi- nalem S.R.E. sublimauit.
FAMILIA ALBERGATOR. ILLVST.
1. Nobili. 2. Docto. 3. Prælato. 4. Sanctæ m.
EVGENIVS IIII. PONT. MAXIM9
Addiuer- sos populos Legatum misit.
Bartho- lome9 Platina.
Arnold9 Bostius
BONONIA SINGVLARITER REFORM.
In 1. Clero. 2. Religiosis. 3. Magnatib9. 4. Populo.
Blondus Flauius Histor.
Petrus Dorland9 Carth.
CONCILIVM BASILEENSE CONT. EVG. 4.
A B. Viro acriter re- prehensum.
Franc. Philelph- us.
Paulus Æmilius.
ORDO CARTHVSIESIS BENE GVBERNAT9
1. Bononiæ 2. Florentiæ 3. Romæ. 4. Mantuæ.
CONCILIVM FLORENTINV. GENERALE
A B. Viro solenniter Ferrariæ in- choatur.
Poggius Florenti- nus.
Petrus Sutor Carth.
POPVLI DISCORDES CONCORDATI
1. Galli. 2. Angli. 3. Ligures. 4. Veneti.
NICOLAVS V. PONTIFEX ROMANVS
B. Viri quondam Scriba et a- lumnus.
Iacobus Zenus Eps Feltrensis
Carolus Sigonius.
ITALIA PLVRIMVM CONDECORATA
1. Bononia. 2. Ferraria. 3. Florentia. 4. Senæ.
S. Antoni9 Archieps Flor.
Alphon- sus Ciaco- nius.
SACRA ROMAN. ECCLESIA HONORATA
1. Episcopo. 2. Cardinale. 3. Legato. 4. Defesore.
PIVS II. PONTIFEX ROMAN. DOCTISSIMVS
B. Viri quondam Scriba et a- lumnus

VITA
ILLVSTRISS.mi AC REVERENDISSIMI PATRIS
BEATI NICOLAI ALBERGATI,
ORDINIS CARTHVSIANI, S.R.E. TIT.
S. Crucis Cardinalis,

GRAVITER, DOCTE, ELEGANTER CONSCRIPTA A
R.D. IACOBO ZENO, *Episcopo Feltrensi ac Bellunensi.*
Ad Reuerendissimum D.D. PETRVM BARBVM Venetum, Tit.
S. Marci Presbyterum Cardinalem, &c.

Quæ nunc tandem post annos 150. publicis typis publici boni amore euulgatur à F.G.G.C.

PRAEFATIO AVTHORIS.

QVANTAM vim Virtus, vel opinio fidesq́. virtutis apud potissimum bene institutum animum habeat, R.me Pater, etsi pleraq. alia documento sint; ex hoc tamen vel maximè intelligi posse mecum ipse sæpenumerò cogitans animaduerti, quòd ita homines ad amorem alliciat, beneuolentiá, admirationeq́. deuinciat, vt illos, qui quoquo pacto eá præditi forent, non amare solùm, sed colere, ac venerari, atq. etiam admirari ingenito nobis quasi quodā iure naturæ ferè necessario compellamur. Tanta enim aucttoritas, tanta dignitas, tanta suauitas, & pulchritudo est, vt tametsi corporeis illam oculis cernere non liceat, mente tamen & animo in ijs ipsis humanis corporibus, quasi in vasis quibusdam & officinis, non sine iucunditate cōtemplemur, eosq́. & veneratione, & honore dignos, & bene meritos censeamus, quos illam sequi, & amplexari iudicauerimus. Hoc cùm sæpè aliàs & ratione & experimento didicerā, Reuerendissime Pater, tamen maximè omnium eo potissimùm tempore, cùm persoluto studiorum laborumq́. meorum cursu, ad quæ penè puer accesseram, ad fælicis recordationis Eugenium quartum summum Pontificem, Auunculum tuum per id temporis Florentiæ considentem adolescens me contuli. Cùm enim quamplurimos præstātissimos patres, quorū quidā ad meliorē vitam euocati sunt, quidam

Cicero de Amicitia, Nihil, *inquit*, virtute amabilius, nihil est quod magis alliciat

homines ad diligendũ: quippe cùm propter virtutẽ & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, diligamus.

dam adhuc & in humanis nobiscum agunt, eo in loco apud Pontificem comperissem, inter omnes tamen piæ semper & celebrandæ memoriæ Nicolaum illum sanctæ crucis Cardinalem, ita propter summam virtutis & sanctitatis opinionem, singulari & præcipua quadam sum obseruantia & veneratione complexus, vt me illi totum non deuotissimè dedicare non possem. Sic enim, vt præclarè nosti, vir ille Deo plenus, quasi splendor omnis virtutis & sanctimoniæ præfulgebat, vt decus & ornamentum Ecclesiastici ordinis, & cleri totius esse meritò videretur. Neq; profectò omnium, quæ ad virtutem & sanctam exemplaremq; vitã attineant, dici quicquam, aut excogitari poterat, quod non esset in eo accumulatè congestum. Religio, fides, pietas, doctrina, integritas humanitas, prudentia, sanctimonia, charitas, patientia omnia sese cateruatim effuderant, & in Nicolai animâ, tanquam in vase purissimo & electissimo collocârant. Quàm verò ipse virtutis feruens Zelator esset, hominumq; illam excolẽtium indefessus fautor & amator; Ecclesiæ, Pontificis Ecclesiasticæq; salutis validissimus clypeus, & propugnator existeret, quis facilè verbis poterit explicare? Itaq; meritò tanti nominis, tantæ apud omnes auctoritatis erat, vt nihil dignius, quàm de suâ vitâ, sanctitate, virtute per vniuersum terrarum orbem prædicari & celebrari posset. Neq; enim Christianos modò populos eius laudis, nominis, gloriæ fama compleuerat, sed ad barbaras etiã & exteras gentilesq; nationes illius veræ, solidæq; virtutis vox, & constans opinio penetrârat. Quanti verò illum præstantissimus Pontifex faceret, quanti Patres existimarent, quantum vniuersa curia coleret, ac veneraretur, quis ignorat? Cùm nihil pretiosius in omnium posset ore versari Sancti Nicolai nomine; potissimùm autem inter reliquos animaduerti te maximè omniũ, Reuerẽdissime Pater, pro optimâ & excellenti naturâ tuâ, innataq; tibi & ingenitâ humanitate ac pietate præstantissimum illum Patrem vsq; adeo amare, colere, obseruare ac etiam venerari solitum, vt tametsi dignitate illi esses, & officio par, (quippe quẽ Eugenius Pontifex iam ad Cardineum apicem benè merentem extulerat) tu tamen illũ, vt parentem vnicum summâ veneratione complexus, ipsius virtutes imitari, laudes verò celebrare, satiari non posses. Quæ cũ ita essent, ego & illius singulari virtute, & tuo etiam non mediocriter prouocatus & pellectus exemplo, eum in modum ipsius Nicolai pij Patris memoriam ex eo tempore quasi adamantino clauo cordi semper infixam & insitam

b Contigit hoc ann. 1440. iuxta Onuphriũ.

gessi

gessi, vt etiam post illius obitum meo nunquam ex pectore Nicolaus excesserit: accessit ad hoc quoq; familiaritas non vulgaris, quæ mihi aliquamdiu cum c Thoma Theologo præstãtissimo fuit, quo cũ officij publicitatione & opinione virtutis sum diutius beneuolentissimè conuersatus: me siquidem, vt bene nosti, (cum author eius rei, vt reliquorũ honorum meorum fueris) Eugenius Pontifex te directore & suasore in Subdiaconatus officio, quod per ea tempora dignius habebatur, Collegam illi, & comitem dederat. Is enim Thomas (qui ab ineunte ætate, & teneris vnguiculis apud Nicolaum ipsum enutritus & educatus, secretorum omnium particeps, & conscius erat) assiduarum commemoratione & prædicatione virtutum, me in illius dedicatissimam obseruantiam non confirmauit solùm, verùm etiam vehementer adauxit. Nam sic ille mihi eius vitam, mores, res gestas, seriosius explicabat, vt neq; ipse dicendo, neq; ego audiẽdo defatigari & satiari possemus, nullaq; ferè præteriret dies, in quâ de Nicolai sanctimoniâ à nobis studiosissimus sermo non fieret, adeo pariter pietate & obseruantiâ certabamus. Et quoniam hominis memoriã labilem & infirmam esse sciebam, tam præclaram verò excellentium rerum cognitionem obliterari & obliuione deleri prorsus indignum existimabam, operam studiosam adhibui; vt quæ ab eo de Nicolai vitâ & moribus accepissem, literis commendarem, vt saltem apud me præsentia & recentia semper Nicolai præclara monumenta vigerent; in eum modum breui effectum est, vt omnium ferè, quæcunq; de Nicolao memoratu digna referri possent, recens apud me cognitio foret. Itaq; cùm mecum ipse sæpenumero, & aliàs anteà, & hoc potissimũ tempore, hæc ipsa à me de Nicolai vitâ rebusq; gestis perscripta, non sine ingenti fructu ac summâ iucunditate perlegerem, & sæpe quoq; veniret in mentem, quantum tu illi deuotissimus & dedicatissimus extitisses, rem tibi gratam fore putaui, Reuerendissime Pater, si ea tibi etiã efficerem redderemq; communia, ne solus eâ voluptate fruerer, quæ tibi quoq; omni iure & officio deberetur. Quamobrem singula quæq;, vt mihi à Thoma relata sunt, ordine digesta studiosius enarraui, & ad te, qui viuum tantâ pietate & obseruantiâ coluisses, meritò quoque dedicanda censui; Eo enim tibi etiam gratiora fore arbitratus sum, quod hæc à Thoma ipso, qui tanta te pietate & charitate Pontifex dehinc Maximus complexus est, cuius insignis apud te potissimùm Pontificis authoritas valuit, quasi à fœcundissimo fonte manarint, ita vt

c Hic est Thomas Sarzanus dictus postea in Põtificatu Ro. Nicol. V. cuius vitam ipse Platina expressit.

d. Ann. 1449 ab hoc Pontifice Petrus Barbus factus est Ca

dinalis presbyter tit. S. Marci. Ita Onuphrius.

hæc legens, Thomam ipsum, (qui & Nicolai ab hoc Nicolao sumpsit nomen) legere atq; intueri non sine pietatis affectione videare. Nam quod ad me attinet, nihil abs te mihi deferendum, nihil attribuendum puto, cùm ita tibi sim omni officiorũ & beneficiorũ genere, & Sanguinis iure deuinctus, vt meipsum & mea omnia dedicans, tibi obsequi, & morem gerere dignitati tuæ dies noctesq; defatigari non debeam. Legere itaq; Sanctißimi Cardinalis historiam, Reuerendißime Pater, solita tua clementißima pietate dignabere, & quemadmodum nobilitate morum & generis, generositate animi, insigni prudentiâ, misericordiâ, ac pietate clementiaq; potißimum, & benignitate singulari, omniq; virtutum genere plurimum præstas; ita in me amando atq; tuendo, quo nihil in humanis mihi cariùs esse potest, & te ipsum & reliquos omnes excedas & superes supplici obsecratione & incessabili deprecatione deposco. Vale fœlix.

(∴)



DE

DE VITA ET MORIBVS NICOLAI CARDINALIS SANCTAE CRVCIS.

CAPVT I.

FAMILIA, PVERITIA, ET ADOLESCENTIA IPSIVS.

INter reliquas Bononiæ Vrbis familias, præſtãs ſatis & clara haberi ſolita eſt Albergatorũ ſtirps, eò potiſſimum, quòd viros diuinarum humanarumq; rerũ doctiſſimos, & Iuriſconſultos celeberrimi nominis, quãplurimos in lucẽ eduxerit. Ex ea Nicolaus traxit originẽ, patre Petro Nicolao, matre verò Philippa. a Quẽ cũ primis elementis inſtituendũ atq; formandũ, vix vbi ex cunabulis exceſsit, Parentes exhibuiſsẽt; vt in ijs, quantũ ſatis eſſe viſũ eſt, profecerat, ciuilibus ſtudijs, (quæ peculiari quodã iure plurimũ in ea vrbe vigent) adhibere operã voluerunt. Acceſsit aũt ad ea circiter ad XI. ætatis annũ perſtititq; diutius. Ad nouẽ etenim continuos annos iuris ciuilis auditor fuit; magnãq; virtutis, atque doctrinæ, & in ea ætate ſpem præſtitit.

a Natus eſt B. Nicolaus ex hiſce parentibus, anno Domini 1375. vt Sigonius habet cap. 1. in vita illius.

CAPVT II.

FIT CARTHVSIANVS, ET ALIQVOT MONASTErÿs præeſt.

CVmq́ue iam & ingenio, & moribus, & ciuilibus diſciplinis vſque adeò clareſceret, vt decorãdus pro ſtudiorũ pręmio inſigni lau-

reâ videretur; ipſe contemptis humanis omnibus, relictis ciuilibus ſtudijs, neglectis honoribus, parẽtibus, diuitijs, re familiari nõ magni existimatâ, Deo immortali ſeſe totum dedicauit & vouit, Religionẽq; ingredi, ac Regularẽ deinceps ducere vitã cõſtituit: eſt ſiquidẽ Bononiæ paulò extra vrbis portas Carth. Monaſterium loco ſatis grato ſitum. Hoc Nicolaus cùm aſſiduè frequentaret, [a] captus Monaſticę & ſolitarię vitæ præſtantiâ, vbi cõſulẽs ſaluti ſuæ Deo immortali ſeruiret, potiſſimùm elegit. Itaque Religioſo habitu ſumpto, (peractis ijs, quæ Religio obſeruat, moribus) aliquot annos in ea omni humilitate, abſtinẽtiâ, & ſynceritate vitę perſoluit; verùm vbi perſpecta & explorata eſt virtus, prudentia, & ſanctimonia morũ, qui in Religione præſidebant, ad religioſas Nicolaũ dignitates extulerunt: pluribusq; illũ pro tẽporum varietate Monaſterijs [b] præfecerunt; ita vt integrum decennium nunquã eiuſmodi præfecturâ caruerit, magiſtratusq; illos eum in modum adminiſtrauit, vt in Religione & in populo nihil diuinius prędicari poſſet Nicolai nomine. Erat enim ipſe ſanctiſſimorum operum patrator & prędicator, plurimoſque ad religioſam Sanctã vitã, & Diuina miniſte-

[a] *Occaſionem ipſam deſcribit Sigonius cap 2.*

[b] *Florentinã & Bononiẽſem Carthuſiam adminiſtraſſe ipſum, affirmat Sigonius c. 2 At verò Romæ & Mantuæ ipſum etiam præfuiſſe antiqua monumenta demonſtrant.*

ria,

ria, ſuaſione ſuâ & exemplo pertrahebat; Humilitatē ſummā, & abſtinentiā aſperrimam prę ſe ferebat, & omninò à ſecularib⁹ terreniſq; rebus abdicatus, ad ſola cæleſtia & diuina volabat; venerabātur illum ſimul & admirabantur ciues omnes, fælixq; eſſe ille videbatur, qui huius perfrui conſortio, aut doctrinâ refici potuiſſet.

Capvt III.

ELIGITVR EPISCOPVS BONOnienſis, inuitus & coactus.

ACcidit, vt circiter ea tempora, qui Bononienſibus Epiſcopus præerat, fatalē diē ſuum [a] obiret; Quare coacti ciues cum Clericis & Eccleſiaſticis omnibus Nicolaum ſibi Præſulē & Pontificem delegerunt. Cumq; illi electionis ſuæ decretum attuliſſent, proſtratus in terrā Nicola⁹, ne ſe quiete ac pace ſuâ priuarent, rogare & obſecrare cœpit: Imparem ſe omninò tanto oneri, inexpertum, imperitum, indigniſſimum eſſe: illis verò magnâ vi, omni prece atque ſuaſione, vt electioni de ſe factę annueret, exorantib⁹, nullo tamen pacto adduci potuit, vt morem gereret. Sed quantò illi ardentius inſiſtebant, tantò ipſe obſtinatius recuſabat. Per hunc modum, cùm

a Is fuit Ioannes Epiſc. qui obiit an. 1417. 2 Ian. Iuxta Sigonium in Epiſ. Bonon. &c. 3. in Vita B. Nicolai.

inte-

integrum semestre Bononiensis Ecclesia Pastore desolata iaceret, illis neminem nisi Nicolaum volentib⁹, eo autem cõstantissimè detrectante, nouas tandem artes ciues excogitârunt, vt desiderio potirentur: operam .n. adhibuerunt, vt qui in ea Religione maximâ auctoritate pręstabãt, quib⁹ imperandi potestas b erat, illi ex auctoritate præcipientes, Nicolaum obedire compellerent. Quib. cùm non parere non posset, curam Bononiensis plebis c assumere, & Episcopus esse coactus est.

b *Latine hæc Sigonius c. 4. Vitæ.*

c *Consecratus est Episc. 4 Iul. vt habet Sigon. in Vita cap. 5.*

CAPVT IV.

MITTITVR A SVIS LEGATVS AD MARTINUM Quintum Pontificem Romanum.

PEr ea verò tempora Patres Constantiæ Cõcilium a celebrabant, quo tandẽ persoluto, cùm Martinus eius nominis V. Pont. Max. qui ad Rom. sedem adsumptus erat, in Italiam venisset, Bononiẽses Nicolaũ ad Pontificẽ cõgratulatũ ire voluerunt. Profectus itaq; Mantuæ b Martinum considentem inuenit. Cui cùm solitam reuerentiam exhibuisset, & populi sui mandata exposuisset, in magno honore à Martino habitus est, cõmorãdi enim locum in palatio, quo habitabat, Nicolao dedit, & ex ærario Pontificio necessaria subministrauit, multisque ornamentis affecit, li-

a *Nauclerus gen. 48. an. 147.*

b *Sigonius ca. 7 in vita ann. 1418.*

terasque Apostolicas super Episcopatu libens dedit. Absolutis autem, quæ opportuna erant, cùm Mantuâ abscedens Bononiam venisset, suarum ouium aliquamdiu quietam curam egit; erat autem [c] in egenos inopesque pijssimus, neminem vacuum abire patiebatur, neque solum satis erat illi, ijs, qui petituri aduenerant, elargiri, sed per vrbẽ ssiduè perquisitis necessaria ministrabat; in diuinis ministerijs obsequijsque accurato semper & indefesso studio versabatur; viuebatq; religiosè & abstinentissimè, quippe, cum illum, quem instituerat, Carthusiensium viuendi ritum ad extremũ vsque semper integerrimè conseruarit.

c *Idem testatur Poggius in orat. fun.*

CAPVT V.

ITERVM EVM MITTERE AD Pontificem Romanum cogitant Bononienses.

VERVM non diutius, vt partâ quiete perfrueretur, illi permissum est. Nam paulò post cum [d] Ferrariam Martinus venisset, iterũ, vt ad Pontificem accederet, voluerunt. Siquidem Bononienses Martini mẽtem atque animum for-

d *Vide Platinam in Martino V.*

midabant, curabantq́ue omni arte, ne in illius liberam poteſtatem declinare cogerētur. Martinus verò nihil prætermittebat, quo abalienatas ſibi illorum mentes conciliaret, vrbemq́ue in fidem redigeret; Bononiam venturum enim ſe, atque diutius ibi manſurum, optimaſq́ue prȩſtituturum conditiones pollicebatur. Illi verò durioribus aſperioribusq́ue in dies animis eſſe videbantur. Quare cùm aliquandiu ad Vrbem Ferrariæ conſediſſet, nullaq́ue compoſitione Bononienſium animos conciliari poſſe videret, deſperatis ferè iam rebus, Ferrariâ diſcedens, Florentiam venit, vt vi & armis rebellantes, proteruoſq́ue Bononienſes perdomitaret; potiſſimumq́ue Bononiæ ad eos dies excitatæ rerum nouitates erant; Zambeccarij quippe Canetulos (qui ſunt alterius factionis) vrbe expulerant, [c] totaque inteſtino diſſidio ciuitas fluctuabat; Quarum rerum ſpe adductus Pontifex, facilè confidebat, poſſe vrbem redigi in poteſtatem.

c *Sigonius c. 8. in vita, ann. 1420. Vide quoq; de hiſce factionibus Blondum dec. 3. li. 3.*



CAPVT VI.

TERTIO MISSVS AD PONTIficem Romanum, redit cum mandato interdicti.

BOnonienses verò, & qui alteram factionem detruserant, & qui bellum inferri à Pontifice pertimescebant, rursus Nicolaum Florétiam ad Pontificem mittere decernebant. Nicolao verò minimè quidem ea sententia probabatur; dicebat enim se vereri, ne à Pontifice, qui omnes curas in recuperandâ Bononiâ locauisset, quicquam indiceretur, quod & seruare cogeretur inuitus, & seruatum vrbi detrimentum afferret; non se tantùm de Pontificis amore confidere, quin longè arbitretur eius vrbis consecutionem illi esse cariorem; itaque ne se mittant, obsecrare: suspicari enim pœnitētiam huiusce rei acturos eos fore, quòd quamnam in partem res vertantur, intelligat. Sed cùm illi è contra obstinatius insisterent, & intelligere se ex his Nicolaum factioni suæ minus amicum esse iactarent, eò quòd bis ad Pontificem, priusquam aduersarij vrbe pelleren-

a Sigonius c. 8. in vita ipsius.

tur, accessisset, nunc obstinatè recusaret, huiuscemodique pleraque infestis orationibus iterarent, tandem parere coactus,[b] tres ex primoribus Vrbis ciues dari sibi consodales expetijt. Profectus ergo ad Pontificem, quæ iniuncta fuerant, exposuit, remque ciuium suorum omni fide ac diligentia egit. Martinus hoc extremo Nicolai aduentu in optimam spem rei perficiendæ erectus, tale aliquid machinatur: Interdicti litteras clam expediri iubet. Nicolao ad se conuocato, grauissimo & exactissimo imperio mandat: vt è vestigio, nullibi tractâ morâ, Bononiã proficiscatur literasque illas, cùm primum Bononię constiterit, populo Bononiensi exhibeat, caueatque, ne quid in ijs inscriptum sit, priusquam Bononiæ constiterit, legat. Hęc vt omnino quamprimùm exequatur, obstrictissimè atque obnixissimè iubet: pænas insuper, ni paruisset, adiungit. Nicolaus tam graui deuinctus imperio, quanquam quid rei foret, quidue deferrent litterę, coniecturâ consequeretur: facere tamen nullo pacto poterat, quin Pontifici Maximo, cui omnia debebat, tam obstrictè potissimùm imperanti, obtemperandum duceret.

b *Sigonius c. 8 habet duos.*

CAPVT

CAPVT VII.

INTERDICTI PROMVLGATI causâ de vita periclitatur apud suos.

ITAQVE Bononiam accedens,[a] coactis, qui eam in rem euocandi erant, Pontificis mandata persoluens, litteras edidit, Pontificis iussa compleuit. Tum verò exardere in eum omnium animi, excitari voces, proclamitare vniuersi, fremereque in Episcopum suum dentibus manibusque cœperunt: in eumque furoris impetum sæuamque rabiem proruperunt, vt in illius vitam caputque conspirarent. Re igitur inter eos compositâ, plerique ex ciuitatis principibus ad Pontificales ædes profecti, satellites vnà trucidandi Nicolai gratiâ, carnificesque duxerunt: cumque in huiusce causæ sermones grauissimos incidissent, litteras ex Præsulis manibus diripientes, in illum impetum effecerunt. Ex ijs tamen,[b] qui dedita hanc ad rem opera carnifices venerant, nemo in illum manum inijcere ausus est, tantusque illos terror inuasit, vt nihil omnino violentum experirentur: litteræ verò Pontificales ab ijs, qui ex Ni-

a 27 Martij, vt ex Sigonio patet, l.1.

b Horum nihil habet Sigonius; At Zanus omnia cognouit ex Thoma Sarzanensi.

colai familia aderant, recuperatæ, req; infectâ inde digressum. At Nicolaus tam temerario & sacrilego sceleratissimorum hominũ ausu perterritus, saluti suæ, vt prudentem decet, consulendum existimauit. Itaque vt primùm illuxit dies, commutatis vestibus, ignotus vrbe digressus, Forentiam venit, & Carthusiense cœnobium, quod ad duo millia passuum vrbe abest, plerosque menses incoluit. Interdictum tamen Bononiæ rectè seruatum est, integrumque semestre nihil religiosum eâ in vrbe publicè celebratum. Martinus autẽ summus Pontifex, exercitu comparato, Bononiam vi & armis occupandam arbitratus, legatum exercitui [c] Gabrielem Condulmarium Venetum, sacrę Romanæ Ecclesiæ Cardinalẽ præfecit. Is est, qui post Martinum summus Pontifex fuit, qui optimo exercitu & valida manu Bononiam adortus, nõ magno illam tempore in Ecclesiæ Pontificisque redegit potestatem. Quare, cùm vrbe in fidem accepta, Martinus illi sancti Eustachij [d] Cardinalem præsidem, Gubernatoremque dedisset, cum eo Nicolaus Bononiam venit, aliquandiuque propria in præsulatus sede quieuit.

a Sigonius addit Braccium Perusinum, exercitus ducem.

d Is fuit Alphonsi Diac Card. qui Bononiẽsis præses factus est 26 Aug. Vt ex Sigonio constat c 8.

CAPVT VIII.

MITTITVR A ROMANO PONtifice ad Gallos, & Anglos pro pace restituenda.

CÆterum, cùm per ea tempora asperrimum bellum Gallos [a] inter & Anglos diutissimè viguisset, quod maximas quidem calamitates, clades innumeras, cædes, deprædationes, direptiones, vrbium, regionum, atque agrorum deuastationes, & pleraque huiuscemodi, quæ bella parere solent, in dies maiora, grauioraque pariebat: nec ad eam diem vlla diuturna pace tam atrox dissidium sedari potuerat; Pontifex Maximus, vbi vir idoneus ad perficiendum tam difficile pacis opus perquireretur, etsi penes se omnifaria excellentia præditos quamplurimos haberet, tamen quòd in Nicolai summa virtute atque integritate fides illi erat amplissima, eum, quamquam Bononiæ residentem potissimùm elegit, quem ad rem per ea tempora permaximam destinaret. Nicolaus cognita Pontificis Maximi sententia, litteris quoque & mandatis acceptis, tametsi iucũdiùs curam suarũ ouiũ

[a] Consulendi de hoc bello Paulus AEmylius, ac Polydorus Vergilius, itẽ Naucler. gẽ. 34. ann. 1422.

exer-

exercere maluisset, cùm tamen facere nullo pacto posset, quin principi humanorum omniũ obtemperaret; vt iussus à Pontifice fuerat, in Gallias pacis
b An. 1427. pertractandæ gratia [b] profectus est; Remque grauem, & ferè desperatam adortus, miris difficultatibus, itineribus, periculis, perturbationibusque innumeris diutius est prosecutus; cumque diuina gratia adiutus ad eum iam statum pacis conditiones adduxisset, vt optatus iam & gratissimus exitus sperari posset, euenit, vt sub idem ferè tempus ambo Reges ipsi Galliarum & Angliæ, qui inter sese tum acerrimo, ac sæuissimo bello decertabãt,
c Idẽ habet Nauclerus & Gordonus. extremi fati [c] munus persoluerent. Itaque potentissimorum Regum interitu perturbatis passim, & commutatis rebus, pace non exacta redire coactus est; & iam decimusoctauus mensis elapsus erat, quo in Gallias venerat (quod temporis spatium vt plurimùm regionem pacis gratia peragrando cõsumpserat.) Sic Romam ad Pontificem veniens, cùm quæ secuta erant exposuisset, nihil sanctiùs existimauit, quàm confestim ad suas pascendas o-
d Reuersus est an. 1423 8. Augusti, vt Sigonius habet cap 9. ues sese quamprimùm conferre. Bononiam [d] itaque cùm venisset, biẽnium apud sibi commissum populum egit.

CAPVT

Capvt IX.

Creatvr S. R. E. Cardinalis, destinaturq; ad Venetos Florentinosq; conciliandos.

Per id verò [a] temporis Martino Pontifici Maximo ſententia erat ad Romanæ Eccleſiæ regimen Cardinales adſumere. Quare cùm maximè omnium in Nicolaum iam dudum antea mentem atque oculos coniecisſet, Romam accitum in Cardineum apicem euexit, & Sanctæ Crucis in Hieruſalem ſacerdotalem illi titulum dedit. Veneti [b] ea tempeſtate Florentiniq; ue aduerſus Philippum Inſubrium Ducem acerrimum gerebant bellum, Florentinorum tamen, vt videbatur, gratiâ ſumptum. Martinum, vt optimum ſummum Pontificem decet, eius belli cauſa anxium ſolicitumque habebat, & pace ſedari, componique cupiebat. Iam verò tanta erat de Nicolai ſanctitate atque virtute opinio & auctoritas, vt, qui commodior perficiendæ paci videretur, eſſet nemo. Eius itaque pertractandæ ac perficiendæ pacis cura cùm à ſummo Pontifice illi iniuncta & demandata eſſet, Nicolaus iuſſa capeſſens, man-

[a] An. 1427. 9. Kal. Iul. sic Onuphri°.

[b] Æneas Syluius in Europa, cap. 49.

c Poggius in orat fun. vide & Sabellicũ in hist Venet.

datiſque obtemperans, Româ digreſſus, Venetias c venit; quò cùm & Philippi ducis oratores conueniſſent, cognitis ac plenè perſpectis diſſenſionum rationibus, cauſam pacis eouſque multa & graui difficultate deduxit, vt Veneti, Florentiniq́ue cum Philippi Oratoribus conuenirent, pacemq́ue firmam decernerent. Dictæ conditiones pleræq; pro exequendis omnibus viginti dierum induciæ preſtitutæ. Cæterũ quò celerius liquidiuſq; perfici res poſſent, nec, quãtum in eo eſſet, perturbatione vlla impedirentur, non parcendum operę atque labori, ſed in Ligures ſibi proficiſcendum duxit. Cœpit autem initio Philippus nonnulla ex ijs, quorum erat data fides, vti conuenta erant, ſeruare, maiora verò & grauiora, inter quæ nonnullorum oppidorum reſtitutio erat, poſtergando differebat: facereq́; id de induſtriâ videbatur, quoad præfinita laberetur dies. Nam & animum reipſa, & factis paulò poſtea euidentiùs patefecit. Miſſis ſiquidem à Nicolao Venetis, qui oppida reſtituenda reciperent, palam denegata reſtitutio eſt. At Nicolaus ægerrimò & iniquiſſimo id animo ferens, fraudariq́ue ſe pacis executione proſpiciẽs, non deſiſtendum tamen ratus, quin omnia etiam

ex-

extrema experiretur, litteris, nuncijs, atque omnibus artibus cum [d] Philippo, quoad eius fieri potuit, agendo, monendo, suadẽdo, rogãdo, nunc precibus, nunc suasionibus, exhortationibus, plerumque etiam admonitionibus & increpationibus, vt res exigebat, plurimum operæ, dierumq́; consumpsit Enimuerò cùm iam tentata omnia in irritum deciderent, nec ad seruandas conditiones adduci quoquo pacto Philippus posse videretur, desperatum opus relinquere, atq; ad Pontificem Romam redire constituit. Ex Liguribus itaq; Bononiâ iter faciens Romam [e] venit: Pontifici, quæ secuta erant compositam pacem, sed non seruatã, cuiusque id culpâ accideret, detulit.

d Philippum hunc quietis impatiẽtem fuisse Syluius testatur in Europ. c 49.

e An. 1427. 6 Kal Mart. Sigonius ca. o. in vita

CAPVT X.

ITERVM MITTITVR LEGATVS à Romano Pontifice ad Venetos Liguresq́; pacificandos.

EAM ob rem Martinus oratoribus omnium partium ad se venire iussis, vt quæ conuenta erant, perficerent, aliquandiu cum ijs egit, obtinuitq́; demum, vt primas iam præscriptas


conditiones concordibus omnes pariter animis confirmarent. Quare ne vlla occasione impediri pacis bonum posset, rursus Nicolao cœptum opus perficiendum delegat, vtque in Ligures, & ad Philippum proficiscatur, iubet. Itaque Pontificis iussu iterum Româ[a] profectus, in Ligusticos fines venit. Exierat tunc Mediolano Philippus, quod ferè aliàs nunquam consueuerat, & ad Pizicatorium oppidum, quod passuum millia quinque supra triginta Mediolano abest, sese contulerat. Cùm verò post solitos honores de rebus pacis pariter conferre atque agere cœpissent, & plerosque dies sermonesque super hisce causis conditionibusque protraxissent, nihil rectum Philippus, nihil integrum penitùs sentire videbatur. Quod vt singulari prudentiâ Nicolaus animaduertit, quanquam dolore & molestiâ anxius, quicquid agi, dici, tractari, persuaderive potuit, experiretur; Neque eo magis proficere quicquam, aut flecti ad seruandam conuentorum fidem Philippus posse videretur: cùm quid ageret, amplius non haberet, certiorandum consulendumque summum Pontificem censuit. Erat tunc apud Nicolaum Thomas[b] & sacris & secularibus litteris eruditissimus,

a *Romæ 4. mesibus mansit. Sigonius cap.* 10.

b *His harũ rerum est oculatus te*

ſimus, ex Serzano oppido Ianuenſis regionis oriundus, qui diuturnam illi operam præſtiterat. Hunc propter ſingulares virtutes, eximiamque doctrinæ, fidei, diligentiæque præſtantiam Nicolaus vnicè diligebat, & primarium apud ſe conſtituebat, fideque atque auctoritate nemo apud illum gratior & carior erat. Eſt autem is, qui poſt Eugenium ſummę Apoſtolatus paulò antè præfuit arci. Hunc Thomam ad Martinum ſummum Pontificem ire iubet, & quæ Philippo mens, quæ verba, quæ acta, quæ ſpes, quæ opinio concipi valeat, nota facere. Ipſe cùm Venetias venire conſtituiſſet, quòd grauiter in vrbe peſtilentia laborabatur, Mathemaucum venit, quod millia paſſuum quinque Venetijs abeſt; ad eum locum Nicolai gratiâ Princeps Venetus & ſenatus omnis acceſſit, ſummique honores Nicolao habiti ſunt, de rerumque ſtatu ſermones collati, & conſilium actum.

ſtis, ex cuius ore hæc Zenus narrat.



Capvt XI.

POST DIVTVRNOS TANDEM labores pacem inter Florentinos Venetosq́ue confirmat.

INde dissoluens cùm mandata Pontificis præstolaretur, nunciata est insignis illa clades Philippo illata, qua apud Machilonium, (sic enim loco nomen est) illius militares omnes copię à Venetorum Ducibus profligatæ, ad internecionemque deletæ ferè sunt. Ea calamitate cùm ferox ille Philippi animus, qui per superiora tempora flecti nullo pacto potuerat, mitior compressiorq; redditus esset, & pacē tam diu spretam supplex petere, atq; vltrò rogare adduceretur, rursum in pacis mētionē pertractationēq; ventum est. Ferraria [a] vrbs commoda & idonea, vbi conuenirent, est visa. Eo Nicolaus profectus, Oratores partium illuc etiam sunt secuti. Ducta est res diutissimè, & de pacis exitu sæpenumerò desperari visum. Graues enim inter partes esse videbantur dissensiones, neque in vnam poterant cōuenire sententiam. Subterfugere videbatur Philippus, & quanquam ad pacem procliuis admodum, & pronus apparuerat, instaurationē tamen quærere & petere nō desistebat. Ve-

a Ferrariæ pax firmata est, an. 1428 15 Kal. Iulij. Ita Sigonius cap. 10. Paulò aliter S. Antonin. in Chron. 4. 22. c. 8. 5. 11

neti

neti etsi modestioribus animis viderentur, tamen quod partâ victoriâ facilè Philippi vires extingui posse arbitrabantur, lentius tepidiusq; accedebãt. Florentinorum omnino erant prõptissimæ, ardẽtissimæque ad pacem mentes, qui fatigati fessique diuturno bello, & sumptibus ferè intolerabilibus exinaniti, spem oẽm quietis in pace defixerant. In tanta rerum atque animorum varietate, cùm desperatis plerumque rebus digressuri infecto negotio Oratores partium viderentur, tanta tamen fuit in Nicolao prudentia, tanta diligentia, & patientissima tolerantia, vt superatis difficultatibus vniuersis, paci tandem, (quippe post semestre, quàm agitari cœpta erat) optatus commodusque finis daretur, dictæ conditiones[b] præscriptæq;, assensus partium omnium præstitus: supererat tantùm, vt quæ conuenerant, integrè seruarẽtur. Eã obrẽ Nicolaus nullo fractus labore, iteratò in Ligures profectus, ferè prouinciã oẽm non sine grauissimis incõmodis pro rerum felici exitu peragrauit; sæpè agresti tuguriolo pro locorum difficultate tectus, nonnunq̃ vilissimo etiã cibo indiguit, bellorũ diuturnitate, & rapacitate atq; atrocitate militũ passim regione omni exhausta, & mi-

[b] S. Antoninus in Chron. p. 3 tit. 22. c. 3 an. 1427. in Martio.

rum

rum in modum rebus vsui necessarijs exinanitâ. Cæterùm etsi angusta omnia viderentur, non tamen, vt priùs inde digrederetur, quàm seruata executaque conuenta conspexisset, adduci potuit.

CAPVT XII.

MAGNA PRVDENTIA ANIMI verborumq́; grauitate castigat insolentiam ciuium seditiosorum.

REDDITIS itaque ac restitutis demum oppidis, & pacatis, quietisque, vt videbatur, rebus, ex Liguribus Bononiam venit, eo animo, vt paulò post Romam, ad Pontificemque rediret. sed dum Bononiæ moram trahit, Ecclesiæ & patriæ suæ causis quibusdam componendis, quæ imminebant, deditus, dissensiones nonnullas de Bergomensi [a] & Cremonensi agro exortas, nunciatum est: vtque controuersias eas quietas reddat, priusquam abeat, supplicatum. Quare grauitate rerum Nicolaum Bononiæ distinente, effectum est, vt partium Oratores ad illum Bononiam mitterentur. Missus à Venetis Sanctius Venerius Equestris ordinis vir, ea tempestate auctoritate inter Venetos præstans. Cùm his cogno-

[a] *Vide Volaterranū l. 4 Geographiæ, vbi de Venetis agit.*

scen-

ſcendis componendisq; cauſis Bononię Nicolaus ageret, ciuitas rerum mutationes perpeſſa eſt, grauiterque intra vrbem tumultuatum, & à clamantibus, *populum libertatemq́ꝫ viuere*, ad arma concurſum eſt: eoque tumultu effectum eſt, vt à Pontifice Eccleſiaq; deficientes, in libertatem ſeſe Bononienſes vendicarent. Grauis admodum & peracerba Nicolao ea vrbis facta commutatio fuit, &, vt par erat, ſummo illum dolore affecit, eoque magis, quòd ſuccurrere[b] ipſe tanto morbo & lapſæ iã rei non poterat. Cæterum & mœrori mœror, & perturbationi perturbatio acceſſit. Qui.n. ſummę rerum in vrbe pręerãt, (ſeu q̃ Nicolai operâ, quem Põtifici gratiſſimum eſſe intelligebant; cõtrouerſias cõponi poſſe cõfiderent, ſeu quòd, quippe quẽ ſtudioſiſſimum Eccleſiaſticarum partium, atq; ex eâ re ſuſpectum, ſuiſque mutationibus aduerſiſſimum exiſtimabant, in illius excidium quicquam ſæui machinarentur) euocandum ad ſeſe ſuis conſilijs decreuêre. Eam cùm operam nũcio cuipiam viliſſimo homini iniunxiſſent, illeq; mandatis obtemperans, ad Pontificem profectus, vt accederet, monuiſſet: in ſtuporem atque mœrorem eximium ea leuitas atque veſania ciuium Nicolaum

[b] De tumultu iſto Bononiẽſium agit Sigonius ca. 1. in vita.

adduxit. Cōtinuit tamen ſeſe, & nuncio nihil graue, aut indignum, neque quicquã magis quàm occupationibus diſtineri, ne accedere valeret, reſpōdit. Hãc ſuorum ciuium ſtoliditatem ſecum indignãti, aduenire ad eum ſex ex primoribus ciuium nunciatur. Quare cùm vereretur, ne quid violenti fieret, euocari familiam omnem iuſſit, vtq́ue ciues ingreſſi ſunt, fores claudi; Iã ad cōſpectum ſui Pōtificis aderant, & proponere, neſcio quæ, velle videbantur. Verùm Nicolaus[e] prior ad illos conuerſus, durè atque aſperrimè (vt res & culpa exigebat) increpare illos adortus; exiſtimare ſe, *inquit*, omnino mente alienatos eſſe Bononienſes ciues, ſeque ob id ſummo dolore affici, cùm eorũ cura illi credita ſit; conſueuiſſe filios ad patrem ire; Ciues ad Præſulem; cōtra naturæ & iuris ordinem eſſe, neque vnquam auditum, vt ad inferiores ſuperior euocatus accedat. Bononiēſes, cũ ſimplex illorum eſſet Epiſcopus, debitos illi ſemper honores exhibuiſſe: nunc cùm Cardineo etiam apice fulgeat, & legationis etiam poteſtate pręmineat, in tam ſtolidam veſaniã illos adductos, vt per viliſſimum nuncium euocare ad ſeſe non erubuerint. Iniuriã hanc nō ſibi, ſed Apoſtolicæ ſedi illatam exiſtimare, cu-

e Sic olim magnanimũ ſe exhibuit S. Thomas Cantuar. Vide Surium tom 6 29. Decembris.

ius vices in eâ dignitate atq; legatione * continet; spretum se esse à Bononiensibus, non sibi propter se, sed propter eorum errores ac peruersos, perfractosq; mores curæ & cordi esse; vereri enim se, ne iratum Deum breui vltorem sentiat: atq; propterea, vt ad rectam viam, & saniores se mores conuertant, hortari. Hæc atq; huiuscemodi cùm summa grauitate atque auctoritate, paternaque caritate monuisset, qui aduenerant ciues, adeò muti atque elingues effecti sunt, vt nec [d] verbum vllum ex cuiuspiam ore prodierit, sed vt venerant declinatis ceruicibus abscessêre.

* forsan, sustineret.

d Ita & Spiridion Episc. obmutescere fecit garrulũ Philosophũ in Concilio 1. Nicæno. de quo Martyr. Roman 14. Decembris.

CAPVT XIII.

OB CIVIVM REBELLIONEM AD Romanum Pontificem abit, apud quem biennio manet.

ENimuerò formidabilis res erat, & maiores motus eo initio expectãdi videbãtur. Quos veritus Nicolaus, ne temeritati facultas delinquendi præberetur, prouidendum ratus, vt si quis fortè tumultus grauior ingruisset, nõ se arbitrio suo Bononienses vti possent; euocato ad se

[a] Carthusiensis Monasterij præside, permutatisq; vestibus, vt primùm inclinare cœpit dies, sub primas ferè tenebras, illum vt inferior prosecutus, ad Carthusię Monasterium venit, eamq; noctẽ ibi in eo egit. Postera verò die, vt primùm lux excipi potuit, vrbem ingressus, cùm paratos sibi extra portã, quæ Mutinam ducit, equos, vt constituerat, comperisset, Mutinam constanti itinere profectus est. Bononienses vt de Nicolai profectione certiores redditi sunt, miris exagitari furoribus occeperũt, in contumeliosasq; erumpere voces, hostem publicum, ac Patriæ illum proditorem appellantes. Non destitêre tamen, quin Oratores ad eum Mutinam mitterent. At Romæ, vt nunciata est Bononiensium defectio, Pontificis & Ecclesiasticorum dolore ac perturbatione affecit animos; cumque Nicolai operâ posse labentibus rebus adhiberi remedia Pontifex [b] Martinus consideraret, cõfestim ad illum raptim perscriptis & exaratis litteris, ne Romam rediret, neve regione egrederetur iniussu suo, strictioribus mandatis iniunxit. Eam ob rem cùm Mutinæ plerosque menses traxisset moram, neq; moueri Bononiensium indurati posse animi viderentur, cõponendæ controuersiæ gratiâ, (quã

[a] *Sigonius cap. 11. scribit de habitu Dominicano. At Zeno magis credendum est.*

[b] *Sigonius c. 12 addit à Pontifice Bononiẽses fuisse excommunicatos.*

occa-

occaſione Cremonenſis & Bergomenſis agri exortam diximus) Ferrariam venit, quâ cōgruâ executione ſedata, conſulto primùm Pontifice, Romam rediјt, biennioque apud Martinum in Curia fuit vitæ ſanctimonia, conſiliorumque grauitate præcipuus.

CAPVT XIV.

TERTIO MITTITVR LEGATVS ad Venetos Ligureſq́ꝫ, Item Gallos & Anglos bello certantes.

CÆterùm haudquaquam illi diuturnâ quiete perfrui licuit Nam cùm Liguricum bellum longè acrius reſtauratum eſſet, Venetique aduerſus [a] Philippum, & ingentes terreſtres copias militares, & claſſem Padanam ampliſſimam comparaſſent, Pontifex Martinus tot calamitatibus metuens, atque obuiare deſiderans, habito cum fratribus de more colloquio, Nicolaū, (quem ad pacem rurſum inter Venetos & Philippum cōficiendam, mitteret) elegit. Hac etiam adiectione adhibita, vt, poſtquam Liguricas extinxiſſet lites, ad perniciosum bellum, quod Anglos inter & Gallos iam antea viguerat, ſedandum iter

a Philippi huius res geſtas Philelphus deſcripſit.

arriperet. Ita tertiò iam Ligurici belli causâ, Româ profectus, in Veronenses primò diuertit, apudque Piscariam oppidum Veronensis quidē agri, sed cui tunc Mantuanus prẹerat Princeps, substitit. In armis siquidē erant omnia, & circumquaq; vniuersa regio militaribus fragoribus æstuabat. Quare peroportunum in eo belli ardore pertractandę paci id oppidum arbitratus, inde partium euocare oratores, & per nuncios litterasque rē gerere constituerat. Hęc dum meditatur paratque Nicolaus, molestissimū de Martini summi Pontificis funere nuncium accepit; Is enim decimo tertio Pontificatus [b] anno, apoplexiâ correptus, fatalem Romæ apud sanctorum Apostolorum Basilicam, vbi residebat, diem summum obierat. Eo tam graui ac funestissimo nuncio, acerbo mœrore affectus Nicolaus, quid ageret, quid cōsilij capiendum foret, ancipiti dubioque animo peruoluebat; Romamne noui creandi Pōtificis gratiâ proficisci, an Piscariæ manere, & cœptum pacis prosequi opus, seu noui Pōtificis creationem, & eius iussa præstolari satiùs esset. Melius cōsilium visum, noua mandata à nouo expectare Pontifice: Quòd nec in tēpore ipse Romæ esse potuisset, & Ecclesię breui à Patribus prouisum iri non dubitaret.

[b] *Ann. 1431 Kal. Mart. vt Onuphri⁹ testatur.*

CAPVT

CAPVT XV.

AB EVGENIO QVARTO R. P. confirmatur in sua legatione, & triennio integro in Gallijs moratur.

NEc diuturna mora fuit, cùm delectum Gabrielem Condulmarium Venetum, qui ex Patribus erat, Romanæ sedi summum Pōtificem datum nouit. Is est, qui Eugenius Quartus [a] est appellatus. Ad eum, vt par erat, cùm & nūcios & cōgratulatorias litteras exarasset, de rebus quoque suis, quæ ad causam attinebant, interseruit: & cùm belli conditiones, & quo in statu cuncta versarentur, & quid de pace agi & sperari posse confideret, (cuius exitum difficillimum, & ferè impossibilem iudicabat) significasset, summis à Pontifice precibus petijt, vt etiam à Gallicana legatione illum absoluere, & sibi Romam redeundi facultatem, potestatemque facere dignaretur. Annuit initio quidem Eugenius, & Nicolai precibus se morem gerere velle significauit; Paranti igitur Romam proficisci, repentè cōmutatâ sentētiâ, litteræ [b] à Pōtifice redditæ sunt, quibus vt omnino in Gallias pergeret, idq; quàm repentissimè, (sic enim res

a Electus est V. Non. Martij, anno 1431. Sic Onuphrius.

b Literas ipsas habet Sigonius. 13

exi-

exigebat) mandabatur. Pontificis itaque iussibus facturus satis, Piscaria discedens, superatis Alpibus in Gallicanos fines venit. Fremebant vndique bella, & per Gallicanã regionem oẽm armorum fragores resonabant; Nulla pacis vox audiri poterat, nulla perficiendæ concordiæ spes esse videbatur. Quæ etsi Nicolao haudquaquam obscura erant, tentãda tamen primùm omnia, & experienda ratus, ad Principes pergere, hortari, monere, suaderéque adortus, & quos ipse adire non poterat, per nuncios & litteras alloqui, quicquid agi aut cogitari posset, incredibili diligentia, patientiaq; peregit. Triennium continuum ea de re in Gallijs cõmoratus, vniuersam Galliam peragrauit, neque vlla ferè fuit insignis Galliarum ciuitas, quam ille pacis gratia non adiret.

Capvt XVI.

EX GALLIIS REVOCATVS MITtitur ad Concilium Basileense, in quo ipsius summa authoritas refulsit.

Dvm in Gallijs Nicolaus protrahit moram, in Germania ingens Eugenio Pontifici, & Ecclesiæ bellum suscitatum est. Nam cùm

Martinus, priusquam vitâ excederet, Basileæ[a] cogi vniuersale Concilium indixisset: id creato iam Eugenio ita cœptum, atq; adauctum erat, vt etiam ex Patribus plurimi inuito & iniusso Põtifice, fugâ arreptâ, quasi à Pontifice deficientes, Basileã peterent; & iã ferè vniuersus eò cõcurrere, & ibi cogi cœperat terrarum orbis, & multa iã aduersum Eugenium ordiri videbantur. Et quanquam præclaros plerosq; suo illuc nomine Præsules Eugeni⁹ delegasset; tamen cùm plurimum de Nicolai singulari virtute ac sanctitate cõsideret, ex Gallijs reuocandum, atque Basileam destinandum putauit, vt Pontificio nomine Synodo ߧideret. Habito itaque & accepto hoc Põtificio decreto Nicolaus ex Gallijs in Germaniam trãsiens, Basileam[b] venit: Est siquidem nobilis & clara Germaniæ vrbs, quã Rhenus fluuius mediã ab alterâ parte præterfluit. Initio aduentus sui maximis & amplissimis exceptus honoribus, vrbem omnem, & Patres Ecclesiasticosq; ordines incredibili voluptate compleuit. Atque quamprimùm ad ea, quę imminebant, persoluenda conuersus, Pontificis partes singulari fide prudentiaque tutatus, res Pontificias ad optimum cõmodissimumque breui statum perduxit.

a De Cõcilio Basileensi vide S. Antoninum, Nauclerũ, et Onuphrium.

a An. 1434. Vt habet Sigonius cap. 14. in vita.

Erat ipse id loci summâ auctoritate, ad eũ vniuersi, vt ferè ad Pontificẽ Maximum cõfluebant, frequentarique ita illius ędes assiduo cunctorum cõcursu consueuerant, vt aliud separatum apud Nicolaum agi consilium videretur. Effecit denique probatissimis artibus, vt tãetsi multorum graues in Pontificẽ essent mentes, irrita tamen malignantium [c] studia redderentur. Mãsit autem eo in loco pauculis minus integro anno diebus: qui si diutius perstitisset, poterat profectò perturbationibus, & calamitatibus, quæ secutæ sunt, finem dare.

c *Sic & Poggius in orat. fun. Item Blondus l. 3. dec. 3.*

CAPVT XVII.

DESTINATVR A SYNODO AD Ligures, deinde à Romano Pontifice ad Gallos pacificandos, & postea interest Concilio Ferrariensi pro Græcorum vnione.

CÆTERVM cùm propter Ligusticum bellum, quod indies vehementiùs ingrauescebat, duos ex Patribus sedandarum rerum gratiâ vniuersa Synodus in Italiam mittere decreuisset, Nicolaus potissimùm, qui ad id pacis opus de-

legaretur, elect⁹ est; comes illi alter ex Patrib⁹ dat⁹ Card. S. Petri ad vincula, [a] ex Hispanijs oriundus. Frequentissimo itaq; concursu omnium ordinũ, nec minori bene sentiẽtium mœrore extra vrbem deducti, in Italiam cùm descendissent, Paduam primùm, inde Venetias petiêre, vbi pertractandæ paci incumbere constituerant. Adhibita quidem ab his est diligentia omnis, & nihil prætermissum, quod ad rem perficiẽdam pertinere potuisset: Sed adeò incensi erant partium animi, adeò prærupta, & ardentia in bellum studia, vt conatibus in irritũ decidentibus, nihil proficere potuerint. Interea dum hęc agerentur, Eugenius Pontifex Maximus iniurijs contumelijsq; à Romanis affectus, vim etiam perpessus, ignotus fugâ sibi consuluerat, & ex Romanâ quidem fugâ Florentiam venerat. Quare Nicolaus, cùm pacis opera non succederent, minimè quidem Basileam sibi redeundum fore constituens, ad Pontificem Florentiam venit, expositisque superiorum temporum actionibus, apud Pontificem Florentiæ manere decreuerat.

a Hic fuit Ioãnes Ceruantes Archidiaconus Hispalens. à Martino V. creatus Cardin. S. Petri ad Vincula, anno 1426. Ita Onuphri⁹ de Pontiff. RR.

Cæterùm cùm per superiora tẽpora Gallorum Rex, & Burgundiorũ Princeps acerrimo sępè inuicẽ ac diuturno bello lacerassent, oblataq; spes pa-

cis inter eos cōficiendæ visa esset, placuit Pōtifici, vt Nicolaus, quem propter vitæ sanctimoniā gloriosi apud illos nominis, & amplissimæ auctoritatis esse sciebat, & ob id paci huic aptissimum & peropportunissimum fore cōfidebat, denuò Gallicanas regiones peteret. Ex Florentiâ itaq; in Gallias delatus, apud[b] Atrebatum, Burgundi Principis vrbem constitit. Inde enixissimo studio ad peragendam pacem inuigilans, decimo & sexto, posteaquam illuc aduenerat mense, multis & grauibus difficultatibus tandem Principes ipsos perpetuâ & salutari pace deuinxit.

b *Vide Robertum Gaguinū hist. Franc. li* 10. *anno* 1435. *& Sigonium cap.* 15.

Pacatis itaque sedatisque Principibus, controuersijsque sopitis, in Italiam rediens, Bononiam venit, Pontificemque illic cum Curiâ considentem comperit; sed cùm Græcorum gratiâ Ferrariæ Pontifex Concilium indixisset, eò etiam Nicolaus Eugenium, vt par erat, est cōsecutus, obuiāque Græcorum Imperatori, & Constantinopolitano Patriarchæ, qui vnionis celebrandæ causâ ad Ferrariense[c] Concilium accedebant, Venetias à Pontifice missus, Ferrariam Græcos adduxit, celebrandæque indefessus vnioni incubuit.

c *Inchoatum est an.* 1438. *iuxta Onuphrium.*

CAPVT

CAPVT XVIII.

POSTREMAM OMNIVM LEGAtionum ſuarum obijt ad Germanos: deinde interfuit Concilio Florentino.

CVM ita totus in fidei rationib⁹ diſceptationibuſque abſorptus Nicolaus eſſet, vt ferè nihil magis cuperet & anhelaret; alia inſuper peregrinatio iniũcta eſt. Nãquoniam in *G*ermania affectæ, ac perturbatæ in Pontificem res erant, & nouum colloquium ad præfixam diem à *G*ermanicis Principibus indictum: operæpretiũ Eugenius exiſtimauit, [a] Nicolaum ad ſtatutum locum diemque accedere. Ille itaque, quanquam tot antea itineribus profectionibuſque fractus videri potuiſſet, tamen recens ſemper & integer animo, nec laboribus vllis aut periculis territus, dũ Pontifici modò, & Eccleſiæ, aut cuiuſpiam ſaluti obſequi valuiſſet, ex Ferraria mouens, iterum in *G*ermaniam venit; adiumentoque non mediocri Pontificis iam apud *G*ermanos labentibus rebus fuit; & quæ à Pontifice mandata erant, quoad eius fieri potuit, integrè atque inuiolatè perſoluit.

[a] *latius hæc Sigonius ca. 6. in vita. Poggius in orat funeb.*

Vbi verò nihil hiſce in locis ſuâ opus eſſe morâ

intellexit, Italiam repetens, Florētiam petijt. Nam ex Ferrariâ [b] Florentiā Eugenius Concilium transtulerat; Fuit autem hæc extrema legationum suarum, itinerationum, peregrinationumq; finis Habitauit autem Florētię apud S. Spiritus ædem, (sic enim Augustinensium locum Florentiæ vocant) eumq; ibi nos, cùm primùm ad curiam accessim⁹, commorantem cōuenimus [c] & salutauimus. Habitabat autē satis angustè, & familia ingenua quidem, & optimè honestissimeque morata & instituta, verum nō lauta nimis & compta; sed modesta omnino, & quæ Præsulis sanctimoniam significaret: Ipse verò maximæ apud omnes venerationi erat, neque quicquam dignius, aut diuinius in ore hominum versabatur.

b Ann 1439. iuxta Onuphrium & Sigonium.

c Hæc Zenus de seipso.

CAPVT XIX.

FIT SVPREMVS SVMMI PONT. Pœnitentiarius: estq; exemplo, consilio, & solatio omnibus ad salutem.

PONTIFEX cum illi dignissimum summi Pœnitentiarij [a] cōtulisset locum, ei⁹ cōsilio imprimis grauissimis potissimum in rebus maximè omnium vtebatur: neq; eum diligebat & a-

a Successit Vrsino Cardinali. Ita Sigonius c. 7. & Poggius in orat fun.

mabat ſolum, ſed piâ etiã veneratione colebat; & vbi quicquã arduum immineret, audire illum antea cupiebat, & ferè omnia Nicolai conſilio peragebat. Nicolao verò ſummę ac ſingulares virtutes inerant; ſimpliciſſima humilitas, præcipuaq; clementia, charitas in omnes, pietaſque paterna, fidei & religionis exardens zelus, communi vſu auſteram & aſperam ſatis ducebat vitam; Nec carnibus veſcebatur, nec ſtrato iacebat, Carthuſiæ regulam etiam ad extremum inuiolatè ſeruauit; ſacris litteris, poſteaq̃ ſeſe immortali Deo dedicauit, operã eximiam adhibuit, neq; à ſacrorum voluminum, cum per occupationes licebat, lectione ceſſabat, doctos[b] viros, virtutib. deditos, magno amore proſequebatur, egeniſque & inopibus Clericis opem plurimam ad litterarum ſtudia cõferebat, in pauperes verò oẽs, quicquid eleemoſynarum poterat, aſſiduè diſtribuere conſueuerat, affinium ſuorum neminẽ ſecum domi eſſe volebat, perturbare illos reliquam familiam dicens, ijs, qui illi miniſtrabãt, ſalaria mẽſtrua exhibere ſolitus erat, ne pro immeritis ſupplicare, & de ſpiritualibus illis ſatisfacere cogeretur, librorum copioſus fuit, quos ferè oẽs in morte ſacris locis, Monaſterijſque legauit.

b Studiũ & puritas Latinæ linguæ tũ refloruit per alumnos B. Nicolai, alioſque. Id colligitur ex epiſt. Philelphi.

Caput XX.

EX CALCULI DOLORIBUS Moritur Vir ſanctus, deploratur ab omnibus, & calculus exſectus in memoriam ſeruatur.

OBijt autem mortem Senis, cùm ibi Põtifex conſideret. Cùm enim Romam proficiſci conſtituiſſet Eugenius, Florentiâ abſcedẽs, Senas venit: quẽ Nicolaus quamprimùm ſecutus, ita vt ingredientem Senas Pontificẽ comitaretur. pauculos verò poſt menſes, calculi[a] morbo correptus, in horridos ac terribiles dolorum cruciatus incidit; ita vt miſerandos cõtinuè clamores emittere cogeretur. Et quanq̃ grauiſſimo & extremo morbo affectus, pati tamen non poterat, vt quicquam ſibi de ſolitâ Carthuſię obſeruantiâ mutaretur. Cùm verò fatalem ſibi ægritudinem hanc fore cognoſceret, Sacramentis Eccleſiaſticis communitus, ſacratiſſimoque Dominico corpore deuotè atq; affectuoſiſſimè ſumpto, de ſui corporis ſepulchro non immemor, vt in Carthuſienſi cœnobio, quod prope Florẽtinam vrbem eſt, conderetur, edixit Ita aliquandiu flebiliter cùm laboraſſet, tandem ægritudinis feruore & cruciatuũ horriditate

[a] *Sigonius c. 17 & Poggius in orat. funeb.*

con-

confectus, immortali Deo spiritum [b] reddidit. Incredibile dictu est, quanto mœrore, quibus lacrymis atque suspirijs hæc Nicolai mors Pontificem, Patres, curiamque & vrbem omnem, populumque compleuerit. Nam & splendorem & decus Ecclesiæ, illum concordi omnes, & consonâ voce iudicabant, & prædicare non desistebant. Cùm verò in Basilicam, quæ Augustino Doctori dicata est, (nam apud religiosos Augustino deditos, Senis locatus erat) exanime corpus delatum est, atque in media Basilica positum; tantus vniuersi populi, omniumque ordinum concursus effectus est manus pedesque deosculantium, vt cõprimere sese cœperint, & vix contineri sacris ædibus possent: fœlixque sibi videbatur, cui illum cõtingere licuisset. Cæterũ cùm prohibẽdi fœtoris gratiâ, (quippe, vt diximus, ad Carthusię Florentinum locum ducendum cadauer erat) exsecto vẽtre, viscera eduxissent; mirum dictu, lapis vastæ pro humano corpore magnitudinis compertus est huius autem forma erat plus rotunditatis quàm longitudinis habens, simillimusque omnino in quantitate anserino ouo videbatur. Apparebat autem ex minutissimis arenulis paulisper concretis in eam magnitudinem deuenisse, quod qui-

[b] *An.* 1443. 9 *Maij. ita* [S]*igonius &* *Ciaconius. &* *quidem ann.* *ætatis* 68. *Ita* Poggius.

S. *Antoninus in Chrõ. par.* 2. *tit.* 15. *cap.* 22. §. 2.

dem diuturno admodum tẽpore fieri oportuisse, Physici iudicabant. Experiri etiã pondus eius voluêre, & bilibrem illum, vt asserebant, comprobauêre; hũc nos ipsi vidimus, manibusq; attrectauimus, & solidissimum experti sumus; ex eo gypseæ plures formæ, ad illius effigiem, conflatæ sunt, & instar mõstri ad varia terrarum orbis loca demissæ.

Capvt XXI.

EXEQVIÆ IPSIVS HONORIFIcentissimè peraguntur, quibus ipse Romanus Pontifex interest: & corpus Florentina in Carthusia sepelitur, anima verò in cœlis feliciter gaudet.

QVOD verò ad funera âttinet, exactissima & splendidissima in principe Senensi Basilicâ celebrata sunt. Interq; alia pleraq; hoc illis pręcipuum & singulare ac memoriâ dignissimum extitit, quòd Pontifex Maximus [a] Eugenius corã ipse consistere interesseque, atq; ornare funus voluerit. Factum nunquam antehac patrum memoriâ celebratum; Neq; enim Pontificius, & Curiæ mos habet, vt in Cardinalis funeribus Romanus Pontifex vspiam intersit; neq; patratum antea vllâ

[a] Idẽ habẽt Poggius & Sigonius ca 17.

ex causa fuisse quispiam antiquissimorum nouerat. Commouêre verò Pontificem Eugenium, vt tantum Nicolao decoris & ornamenti impensum vellet, non sanctitas modò & immaculata integritas, gloriaq; atque opinio de illo vniuersi terrarum orbis, & omnium hominũ: Sed quòd amplissimis Nicolai de Ecclesia, atque Põtifice meritis deuinctum & obstrictissimum sese illi arbitrabatur; quippe qui suarum partium indefessus semper ac validissimus fautor & propugnator extiterat: Innumera, quæ inferri detrimẽta potuissent, auerterat, suis cõsilijs non vulgaria Eugenio emolumẽta contulerat, auctoritateque & præsentia sua incredibiles illi semper fauores, & Principum cæterorumq; hominum studia compararat. Funeralibus egregiè celebratis, Thomas [b] Apostolicus Subdiaconus (qui familię præsidebat, & apud Nicolaum diutissimè manserat, quo illi nemo carior erat) nõnullis ex familia comitib9 sumptis, corpus ad Carthusię locum, qui parum Florẽtia abest, (vt à Nicolao viuente institutũ fuisse diximus) detulit, & piè religiosissimeque sepulchro cõdidit, vbi ad hodiernam iacet diẽ; Anima, vt rectè iudicãdum est, in superis gloriosa [c] fœlicitate beata.

[b] *Hic postea fuit Nicola9 V. Pont. Ro*

[c] *Lege quæ ex Philelpho postea adiũgentur.*

ANNOTATIONES.

I. DE IACOBO ZENO, HVIVS HISTORIAE SCRIptore, quis fuerit ille?



DE hoc viro sic habet Blondus, de Italia Illustrata, regione Octaua, quę est de Venetijs, quando Illustrium quorundam Virorum mentionem facit.

Iacobus Zenus Feltrensis & Bellunensis, Dominicus Torcellanus, Episcopi non modò Iurium ciuilis & Pontificij, ac Theologiæ doctrinâ, sicut eorum decet professionem, abundè pleni: sed eloquentiâ quoq; ornatissimi sunt, vt ei mancipatorum studio peritorum multos ætatis nostræ scribendo dicendoq; æquent.

Floruit Blondus anno 1435. iuxta Trithemium, qui regione nona de Marchiâ Taruisinâ disserens, sic inter cætera scribit.

Anaxo seu Plani fluuio ad sinistrā adiacent oppida Venetiū, Limina, & Aquoriū: & superius arduo in monte est Feltrū Ciuitas, Episcopo nūc Iacobo ornata Zeno, non minus doctrinâ, quàm gentis nobilitate conspicuo. Ad dexteram Plani primum hæret oppidulum Madirium: inde mediterraneis Vetorium. Superius, vbi Varianus nunc Calorius auget fluuius, est oppidum Tesega; eidemq; amni Variano seu Calorio apposita est Bellunum ciuitas vetustissima, quam Plinius cæteriq; scriptores Velunum appellant: eidemq; nunc cum Feltro in eundem coniunctæ Episcopatum idem Zenus præest Episcopus.

De eodem Zeno sic testatur Trithemius de Eccles. script.

Iacobus Zenus, Patritius Venetus, Episcopus Ecclesiæ Patauinæ, Vir in scripturis sanctis studiosus & eruditus, & sæcularium literarum nō ignarus, ingenio subtilis, eloquio disertus, consilio promptus, & circumspectus, ac multarum rerum experientiâ insignis; scripsit quædam præclara volumina, quibus nomen suum ad Posteros cum gloria transmisit, &c. Moritur anno Domini 1477.

Posseuinus pauca de ipso habet, asserens vixisse ann. Christi 1474.

Quòd autem tam Trithemius, quàm Posseuinus ipsum vocent Episc. Ecclesię Patauinæ, fieri potuit, vt post Blondi tēpora ad hunc Episcopatum fuerit translatus. Nam alioquin in Dalmatia sub Aquileiensi Patriarchatu continentur omnes hi tres Episcopatus,

Feltrenſis, Bellunenſis, & Patauinus. Ita conſtat ex Notitiá Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani, quam R. D. Aubertus Myræus euulgauit.

II. Annotatio, de Petro Barbo Veneto.

Blondus in Italia Illuſtrata, regione Octaua, ſic teſtatur.

Alterum verò Pontificem paulò poſt habuère Veneti ex Condulmaria gente Eugenium 4. cuius geſta per hiſtorias noſtras Orbi notiſſima, Pontificibus Rom. qui ante ſe fuerunt, præſtantiſſimis parem, & altorũ turbæ multò digniorem eum reddiderunt. Quantum autem ad doctrinam litterasq; attinet, quibus hoc in Catalogo primas partes tribuimus, etſi Eugenius Pont. nec Iuri, nec alicui ſcientiæ particulariter perdiſcẽdæ animum adiecit: doctorum Eccleſiæ Oratorum, hiſtoricorumq; Latinorum libros omnes & legit aſſiduè, & quo erat mirabili ingenio ſubtiliſſimè intellexit. Ornauit autem Cardinalatus dignitate Petrum Barbum ex ſorore nepotem: qui adoleſcens optimus tantá duodecim hactenus annis humanitate, atque etiam integritate, & ſimul liberalitate eſt vſus, vt & alter Titus Veſpaſianus, & quod illi tribuebatur, Delitiæ humani generis ſit appellatus. Vir autem factus, titulo S. Marci eſt ornatus, & patrio cognomine Cardinalis Venetiarum dictus.

Hæc Blondus: ad quorum maiorem illuſtrationem ex Onuphrio Panuino pauca adiungam.

Anno Domini 1440 Kal. Iul. Petrus Barbus Venetus, Protonotarius Apoſtol. electus Epiſcopus Ceruienſis, Diaconus Cardinalis S. Mariæ nouæ creatus eſt ab Eugenio 4. Pont. Rom.

Ann. Dom. 1449. 14. Kal. Ian. factus eſt presbyter Cardinalis tit. S. Marci à Nicolao V. Pont. Rom.

Ann. Dom. 1462. prid. Kalend. Sept. electus eſt in Pontificem Romanum, dictuſq; eſt Paulus II. Reliqua vide in Onuphrio *de Pontif. Roman.* & prudenter caue Platinam cauillantem. Obijt idem Pont. R. ann. 1471. 5. Kal. Auguſti, vt citatus Onuphrius affirmat.

Ex hiſce conſequens eſt, hiſtoriam hanc à Iacobo Zeno fuiſſe conſcriptam ante Chriſti annum 1462. & poſt annum 1449.

III. Annotatio, de hiſtoriæ huius authoritate.

Melchior Canus, vir vndequaque doctiſſimus, lib. 10. ca. 6. de lo-

cis Theologicis, tres adfert regulas ad fidem alicuius historiæ agnoscendam.

Prima est, ex hominum probitate integritateque. quæ res locum habet, cùm quæ narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his, qui viderunt, accepisse. At eiusmodi historicus est Iacobus Zenus, qui ex ore Nicolai V. Pont. Rom. omnia recenset, & in testem vocat ipsum Paulum II. P. R. Petrum Barbum Venetum.

. II. Lex siue regula est, vt eos historicos reliquis anteferamus, qui ingenij seueritati quandam prudentiã adiũxerunt, & ad eligẽdum, & ad iudicandum. Quæ lex in ijs rebus locum habet, quas neque scriptores ipsi sunt intuiti, nec à viris fide dignis, qui viderint, audierunt. Hæc quidem regula non quadrat propriè in Zenum, sed in Sigonium, qui sua ex probatis monumentis familiæ Albergatianæ deprompsit. Interim Zeni sapientiam ingeniumque audimus laudari à Blondo Trithemioque: vt de ipsius eruditione dubitandi locus nullus relinquatur.

III. Regula est, Si cui historico authoritatem Ecclesia tribuit, hic procul dubio dignus est, cui nos etiam authoritatem adiungamus. Contrà verò cui Ecclesia derogat fidem, ei quoque nos fidem iure ac meritò derogabimus. Porrò Zenus Ecclesiæ aduersarius non fuit, sed Episcopus & Lumen Dalmatiæ. Neque quicquam adferri à quoquam potest, quare illi non credamus.

Regulas enumeratas libenter suscipit Antonius Posseuinus in sua selecta Bibliotheca lib.16.cap.5.

Quòd insuper attinet ad Iacobum Zenum de B. Nicolao nostro scribẽtem; hunc accepi ex Carthusiâ Bononiensi. Ego autem mox eundem in capita distinxi, singulisque capitibus sua præfixi argumenta, ad beneuoli Lectoris maiorem Vtilitatem; scholijs insuper marginalibus, historicisque notis nonnihil illustraui.

IV. Annotatio, de familia Albergatorum.

Albergatorum genus antiquissimum est, ex quo prestantissimi ac celeberrimi Viri prodierunt. De pluribus paucos recensebo.

1. Antonius I.C. clarissimus, cuius consilia impressa habentur in consilijs Cumani.

2. Lu-

2. Lucius Theologus eximius, qui plurima composuit opera Theologica, de quibus F. Cherubinus Eremita Augustinianus in historijs suis, vbi de familia Albergatorum.

3. Vgolinus Episcopus Nouariensis tempore Nicolai 3. Pontificis Romani.

4. Vianesius senior gubernator, & vicecamerarius Romæ, cuius mentionem facit Platina in Paulo 2. P. R.

5. Petrus Gubernator Campaniæ.

6. Dominicus Protonotarius, vicecamerarius, & vrbis gubernator.

Imò Posteri à Paulo 2. alijsque Pont. Rom. promoti sunt ad summas dignitates, vt Vianesius iunior à Leone X. Nuncius in Hispaniam missus, & alij. Plura Sigonius in vita B. Nicolai, c. 1.

7. Hisce adiungere licebit Reuerendiss. ac Illustriss. Antoniũ Albergatum, qui multis munijs publicis, tam spiritualibus, quàm tẽporalibus cum laude administratis, à Paulo V. factus Episcopus Vigiliarum, Sanctæ Apostolicæ sedis ad partes Rheni, & Germaniam inferiorem cum potestate Legati de Latere Nuncius Coloniam venit Anno Domini 1610. & in hodiernam diem præclaris vestigijs virtutibusque B. Nicolai nostri præclarè insistit. Cuius in Germania præclarè gesta narrabunt alij suo tempore.

8. Quæ posteriùs mihi inquirenti Bononiâ missa sunt, consequentur hic locum suum, ex Italica lingua translata. Itaque Alidosius Historicus (Italus) refert F. Cherubinum dicere infrascripta verba de familia Albergatorum.

Anno sequenti DCCCC. XXXIII. de nobili familia Albergatorum Bononiensium natæ fuerunt in Germania duæ Illustrißimæ stirpes ex Geßino & Aurelio Albergatis: qui istis temporibus in Germania morabantur. Primo inde initium habet Baronatus in Vißinghe, portans pro Insignijs trabem argenteam in campo viridi. Etiam inde originem traxit Baronatus de Castello, habens in armis siue insignijs transuersam trabem in campo viridi.

Anno DCCCC. LXXXXIII. Lucius Albergatus Bononiensis, magnæ doctrinæ homo, & multarum linguarum peritus: in quibus mirabilis fuit, & admodum Catholicus: scripsit multa opera pro Ecclesia Dei; & inter alia,

1. *De Virginitate libros tres.*
2. *De lapsu Angelorum libros quinq.*
3. *Quæstionum super sapientiam Salomonis libros sex.*
4. *Super Pentateuchum præclaros commentarios, in quibus exponuntur mirabilia opera Dei.*
5. *De Ecclesia & Religione libros quatuor.*
6. *De Vltimis temporibus, & tribulatione Mundi libros tres.*

V. Annotatio, Quibus in Carthusiis B. Nicolaus gesserit officium Prioris seu Superioris.

Hic primò annotandum ex Zeno cap.2. quòd per integrum decennium pluribus Monasterijs præfuerit. Secundò est obseruandum ex Sigonio cap.2. quòd Florentię Bononięque Prioratum administrârit. Tertiò ex certis monumentis haud obscurè constat, ipsum Romæ ac Mantuæ hoc munus obijsse. Sic etenim ex Chartis Capituli generalis (quod singulis annis in Ordine Carthusiano celebratur) sedulò indagauit V.P. Bartholomæus Senensis, Florentinæ Carthusiæ hoc tempore Prior dignissimus.

Anno igitur Domini 1407. B. Nicolaus à Capitulo generali constituitur ex Priore Bononiensi Prior Romæ, & Ordinis totius generalis Procurator, hisce ipsissimis verbis: *Priori Bononiæ ad suã instantiam, ad Ordinis vtilitatem & honorem fit misericordia,* (id est, absoluitur ab officio) *& præficimus eum in Priorem S. Crucis in Hierusalem Romæ: cui & iniungimus officium Procuratoris Ordinis (hæc singularis dignitas est in Ordine nostro.)*

Item in eadem eiusdem anni Charta hæc leguntur.

Si quis indiget scribere ad Romanam Curiam, licitè poterit D. Nicolao quondam Priori Bononiæ, sed nunc Priori S. Crucis Romæ: quem etiam præficimns in Procuratorem Ordinis.

Hic nota quòd Carthusia S. Crucis in Vrbe Romanâ sit translata post ann. Domini 1560. à Pio IV. Pont. Rom. ad thermas Diocletianas, vocataque Domus S. Mariæ de Angelis.

Porrò B. Nicolaus noster ex Priore Romano ordinatus est primus Rector Carthusiæ Mantuanæ, per Capitulum generale, tali formula verborum ann. 1409.

Priori Romæ ad suã instantiã fit misericordia ab officio Prioratûs & Procurationis Ord. & quia Magnific^9 Dom. Mãtuan. valdè seriosè scrip-

sit Capitulo generali, pro construendo Monasterio Ordinis nostri, ordinamus, vt sine notabili dilatione se transferat ad Præsentiam eiusdem; & si viderit, singulis consideratis, quòd vult manum apponere cum effectu, præficimus eum ibidem in Rectorem, &c.

Hic nota quòd Carthusia Mantuana constructa sit à Ioanne Francisco Duce Mant. qui ann. Domini 1407. præesse cœpit, obijtque anno 1444. Ita refert Volaterranus lib. 4. Geographiæ in rebus Mantuanor. Dies emortualis fuit 24 Septembris, vt constat ex charta cap. gen. nostri.

Mansit autem B. Nicolaus Mantuæ in hoc officio annis septem, singulis annis à cap. gen. confirmatus. Tandem cùm anno 1416. Carthusiæ istius ędificium esset absolutum, ipse quoq; ab officio absolutus est, hisce verbis in charta cap. gen. *Rectori prope Mantuam fit misericordia, ad suam magnam instantiam, & ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, ad instantiam quoq; Magnifici D. D. Mantuani (qui omnia, quæ promisit, abundè adimpleuit,) eandem Plantationem in nomine Domini Ordini nostro incorporamus, volumusq;, vt Domus S. Trinitatis prope Mantuam nuncupetur, &c.*

Ab hoc igitur tempore reuersus est Bononiam ad domum Professionis suæ, videturque secundo eiusdem Carthusiæ Prior, vel à Conuentu electus, vel à Visitatoribus institutus: Anno siquidem sequenti, id est, anno 1417. consecratus est Episcopus Bononiensis.

VI. Annotatio, de obitu B. Nicolai.

Quamuis Iacobus Zenus nullum annum diemque exprimat: certissimum tamen est, B. Nicolaum obijsse ann. Domini 1443. 9. Maij. Id si Carolus Sigonius, & Alphonsus Ciaconus, atque Onuphrius Panuinus tacerent, antiqua ordinis nostri monumenta sufficienter loquerentur. Indubitatum etenim habemus ex chartis cap. gen. ipsum ex hac vita migrasse anno Domini M. CD. XLIII. 9. Maij. Hisce standum erit.



ORATIO IN FVNERE ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI PATRIS B. NICOLAI ALBERGATI, CARTHVSIANI, EPISCOPI BONONIENSIS, ET CARDINALIS S. CRVCIS,

QVI EX CALCVLI DOLORE OBIIT SENIS IN Hetruriâ, anno Salutis M. CD. XLIII. VII. Idus Maij, Sepultus Florentiæ apud suos Carthusianos;

HABITA A POGGIO FLORENTINO, VIRO ISTIVS SECVLI ELOQVENTISSIMO Doctissimoque:

INVENTA EST AVTEM (IN VETERI MS. EXEMPLARI, inter alia monumenta Carthusiæ Coloniensis: & cum duobus alijs exemplaribus diligenter collata, correcta, ac restituta à F. G. Garnefelt.

LECTORI BENEVOLO.



CVm reperissem in Carthusiâ nostrâ Orationem hanc funebrem, agnoui ex stylo ab homine eloquentißimo ipsam fuisse conscriptam: Nullius tamen authoris nomen adiunctum erat: ipsum etiam exemplar admodum vitiosè ac illegibiliter descriptum Gallico charactere. Nactus tandem alia duo exemplaria, Vnum ex Nobili Albergatorum familiâ Bononiâ; alterum ex Carthusiâ Bononiensi, vidi Poggium Florentinum esse authorem. Contuli igitur ea mutuò, &

quod plenius correctius q́; videbatur, excudendum tradidi, & synopseos causâ pauculas in margine addidi annotationes. Quantum attinet ad Poggium, hunc Trithemius hisce verbis depingit:

Poggius Florentinus, Philosophus & Rhetor facundus, Græco & Latino sermone ad perfectum instructus, literarum Apostolicarum multis annis scriptor disertissimus, &c. Claruit in Concilio Constantiensi personaliter sub Sigismundo Imp. anno Domini M. CD. XX.

Hæc ille, qui ipsius tractatus recensens, testatur eundem varias orationes composuisse. Huc accedit, quòd Ant. Posseuinus asserat, hunc Poggium exarasse funebrem laudationem in obitu Nicolai; sed non exprimit, quisnam fuerit iste Nicolaus, an Cardinalis Albergatus, an alius quispiam. Exordium orationis est; Si ciues præstantissimi, &c.

Sed nostræ Orationis, quam exhibemus, aliud initium est. Idem Posseuinus scribit, Franciscum Philelphum composuisse vitam S. Nicolai. Vbi etiam nihil apposuit ad personæ distinctionem. Sed non potui hanc vitam adipisci, vt viderem, an esset nostri Albergati, an Tolentini, aut alterius Nicolai; alioquin lubens publici Iuris fecissem.

Hæc cupiebam præmonuisse. Vale Opt. Lector, & ora pro me ad DEVM.



ORATIO FVNEBRIS.

N maximo dolore, præstantissimi Patres, & acerrimo luctu, quem ex optimi, & sanctissimi viri morte suscepi, hoc mihi solatium mœroris videtur tribui, quòd & ea proculdubio sim dicturus, quæ summo omnium consensu, summâ approbatione, summo fauore accipiantur; & in virtutibus amplissimis tanti viri commemorandis, & si non debitum, at qualem facultas ingenij dabit, honorem sim vitæ omni cum laude exactissimæ præstiturus; Accedit, quod maximè ad viuentium spectat vtilitatem, vt in excellentium virorum exemplis, & vitâ recensendis, multi ad laudem & gloriam, ipsorum memoriâ virtutum, incitentur: conferunt enim non parum præclaris ingenijs gesta priscorum ante oculos posita: quæ nobis subdunt tanquam calcar & incitamenta quædam ad eorum, quos laudari videmus, imitationem. Equidem existimo, maiores nostros & orationes, quæ olim in præclarorum funeribus habebantur, & imagines, quæ priscorum memoriæ dicabantur, non tam defunctorum laudes & gloriam ostendere, quàm posteris consequendæ virtutis eorum exempla nobis præbere voluisse. Quamquam huic nostro omni laude ornatissimo viro nullius gloriâ, nullius laudatione opus est, ad eius vitam in hoc funere exornandam; Neque hoc dicendi munus tanta virtus desiderat, quæ omnem orationem, quantumuis amplissimam, superare videtur. sua illa merita, sua virtutum ornamenta, sua sanctissimè acta vita, mores castissimi, sua in omnes pietas, sua religio adeò illum ornauit, vt nullo sit opus externo adiumento ad laudem hominum consequendam. Quo mihi facilior erit orationis cursus, cui datur ea materia ad dicendum, vt non verbis ornare hunc hominem, sed tantùm, quæ ab eo acta sunt, referre satis esse pro eius meritis videatur. Sed profectò integerrimi ornatissimique viri vitam explicaturus, dum eius in me, dum vixit, charitatem, dum in doctos viros beneuolentiam considero, dum eius virtutem, humanitatem, pietatem mente reuoluo, dum, quo præsidio Ecclesia, quo

auxilio inopes, quo adiumento boni ſunt ſpoliati, animaduerto; nequeo vllo modo, quæ vltrò etiam mihi inuito in eius commemoratione effluunt, lachrymas continere. Quis enim tam inhumanus, tam durus vel ferreus potiùs eſſet, qui in talis tam laudati, tam deſiderati communis Patris memoriâ non moueatur animo, & ad fletum prorumpat? Quis eſt, qui cùm eum nobis, qualem ſecula rara ferunt, ereptum videat, non mente & animo ingemiſcat? Subtractus eſt nobis vir vitâ, & moribus ſingularis, cui parem ætas noſtra non protulit; Interijt, quanquam non interijt, ſed ad meliorem profectus eſt vitam, vir ſumma prudentia & ſapientia præditus, vir religione inſignis, pietate præcipuus, excellens integritate vitæ, de omnibus optimè meritus. In quo nullorum, quamuis perſpicaces oculi vllum vnquam locum maledicto inuenire potuerunt. Facultatibus egenos, ſubſidio imbecilles, conſilio plurimos, opibus ſingulos, omnes patrocinio ſubleuabat, vt veluti parentem vnicum bonorum, ac calamitoſorum refugium lugere & gemere compellamur; verùm quoniam tempus requirit, vt ad eius laudum commemorationem poſthabitâ tantæ iacturæ querelâ veniamus, complectar paucis vitæ inſtitutionem, & mores eius: vt & ea, quæ ipſi noſtis, tanquam in veſtro conſpectu, meis verbis poſtponantur; & quibus id animi eſt, eius viri propoſito exemplo, occaſio detur ad idem virtutis iter ingrediendum. Natus *a* eſt vir iſte inſignis Bononiæ, vrbe celeberrimâ atque antiquâ, & quæ inter Italiæ pręclaras vrbes facilè adnumerari queat, honeſtis parentibus, & haud obſcuro loco natis; ſed qui filio per omnem vitam, quocumque eſſet in ſtatu, poſſent eſſe ornamento. Cùm pluribus annis Iuri ciuili operam dediſſet, plurimumque in ea ſcientia profeciſſet: tandem cùm legiſſet huiuſmodi ſapientiam apud Deum ſtultitiam eſſe, ſpiritu Dei ductus, qui eum in ſuum obſequium diſpoſuerat ſegregandum, abiectâ legum curâ, relicto ſeculo, cōtempto *b* patrio cenſu, ordinem Carthuſienſium eſt ingreſſus: eam profeſſus religionem, quæ arctiſſima omnium iudicatur. Sunt plures viuendi formulæ propoſitæ his, qui ſe Dei cultui dicarunt: è quibus leuiores quædam, & ad facilitatem vitæ propenſiores exiſtimantur; non leuem aliquam, non facilem, non vitæ & communibus moribus indulgentem e-

a *Ortus B. Nicolai Albergati.*

b *in altero M.S. erat (paterno conſenſu) Fit Carthuſianus Bononiæ.*

legit, ſed illam potiſſimè, quæ eſt ardua inter omnes, difficilis, auſtera, ſeueritatis & diſciplinæ arctioris plena; magna proculdubio mutatio animi, maior corporis, quòd à licentiâ quadam vitæ communis ad tam laborioſum viuendi genus, ad tam inſuetum onus religionis aſcendit: non ſolùm Religioſorum vitam ſumens, ſed eam, in qua perſiſtere difficillimum exiſtimamus; & certè ea religio admodum grauis & toleratu difficilis putatur, ita paruis terminis circumſcripta, vt niſi ſpeciali dono Dei ſuffulti, in eâ diutius nequeant perſiſtere. Sed omnia ſunt volentibus facilia. Nihil tam durum, tam aſperum, Chriſtum recta via ſequentibus, quin leue & molle conantibus fiat. Breui tempore effecit, vt omnes difficultates ſuperaret, omnem victûs auſteritatem obedientia & patientia vinceret, compulit non multò poſt vitæ illius integritas ſui Monaſterij Religioſos, vt illum eligerent in ſuum ſuperiorem. Quo in regimine ea fuit modeſtia, prudentia, temperantia, vt ab omnibus ipſius virtus celebraretur. Et quamuis in monaſterio ſedulus, atque abditus viueret, cultui diuino & gubernandi curæ intentus; virtus tamen & ſanctitas claudi minimè poterat; Sed Bononiam vſque horum certa veſtigia perlata omnes ciues in admirationem ſtuporemque perduxerant. Ipſi, quibus præerat, abſque vlla inuidia (quam vitare difficile his, qui præſident cæteris) virtutes eius admirantes efferebant. Neque verò mirum, facilè eſt eius laudem conſequi illis, qui non præeſſe cupiunt, ſed prodeſſe. Hoc vitæ curriculo, hac viri fama permotus Bononienſis populus, cùm in defuncti Epiſcopi locum ſucceſſor quæreretur, diſſidente parum clero, (alij alium poſtulabant) vno conſenſu, vna mente in ſuum Paſtorem, approbante clero, elegit. Permagnum ſanè ſingularis hoc teſtimonium virtutis fuit, vniuerſum populum ſua ſponte, nemine rogante, nullo diſſentiente, (neſcio cuius voce illum nominante, Dei voluntate emiſſa) è veſtigio in eius electionem exarſiſſe. Sperabant enim illum vnicum eſſe futurum Antiſtitem, in quo ſalus omnium ſita eſſe videretur, cuius ope boni ſubleuarentur, & opprimerentur mali: qui mores laſciuientes ad meliorem frugem, & vitia poſſet ad virtutes traducere. Accitum ad vrbem, per alterius rei ſimulationem, ignarum populi voluntatis, multis precibus omnes ciuitatis

Fit Prior Bononiæ.

Fit Epiſcopus Bononienſis.

ordi-

ordines hortati sunt, etiam reluctantem, ne onus sibi iniunctum recusaret. Ille multum diuque cogitans, quanti esset laboris ac periculi, animarum curam medelamq; suscipere, quamve esset graue huiusmodi pondus illis, qui animarum salutem ex tali dignitate, non quæstum quærunt: cessit vix tandem vir optimus populi voluntati. Attamen ea conditione assensus est, primùm vt omnia bona & Castella, quæ distracta erant, Ecclesiæ restituerentur, tum ne quid expenderet pro confirmatione Pontificis; sibi enim nummos non esse; Quæ verò ab Ecclesia subministrarentur, in alios vsus, hoc est, in pauperum alimenta distribuenda sibi esse asseuerabat, quod vtrumque est vir sanctissimus assecutus. Nihil eo honore, nihil ea dignitate elatus, nulla in re vitam pristinam mutauit, eadem humilitate, eadem continentia, eadem vitæ austeritate vixit, victu tenui nullo apparatu contentus. O virum optimum, & cunctis seculis summis laudibus celebrandum! O virtutem raram, & quam rariores homines sequuntur! Recensete alios, & illorum vitam inspicite, qui simili sunt præditi dignitate; quem mihi dabitis, qui eiusmodi gradum non appetat, quærat, enixè procuret, cœlum, terramque defatiget, vt illum consequatur? Quotumquemque reperietis, qui non infletur animo adepta dignitate, & intumescat? Qui dignitatem non habeat quęstuosam, qui non voluptatibus plus solito, & quieti corporis indulgeat, qui non deterior in diem fiat? At hunc nostrum virum sanctissimum omnia prioris vitæ seruantē vestigia vidimus, nulla in re immutatū, nullā in partem à cura populi sui oculos deflectentem. Primùm in id maximè multis reluctātibus incubuit, vt clerus, qui ad eam diem dissolutior fuerat, non solùm vestibus, sed moribus quoque compositioribus vteretur. Tum populum à lasciuia ad frugalitatem deflexit, non solùm verbo, sed exemplo: quod plurimùm valet ad animos hominum commouendos. Inprimis id statuit, etiam renuente in multis Pontifice, vt Iudæi certo signo à Christianis dignoscerentur. Religiosum quemdam ordinis Minorum ad reddendum depositum mulieri viduæ, quod negabat, re certis coniecturis cognita, licet reluctantem coegit. Pauperes, qui egestatem erubescebant, occultè perquirens, frumento aut pecunia clanculū domū missa subleuabat: virginibus egenis dotem subministrabat

Quibus conditionibus susceperit Episcopatum.

Nihil fit honore illo elatior.

Reformat subditos suos in omni statu.

Omnibus Pater beneficus existit.

con-

confluentibus vndecunque mendicis victum publicè largiebatur. Id agebat, vt omnes intelligerent, non vtilitatem aliquam, aut priuatum commodum ex Ecclesiâ, sed rationem pauperum, populi correctionem, Sacerdotum emendationem, ab illo esse susceptam. Erat in corrigendis superiorum temporum moribus, tum mitis, tum seuerus, prout vtilitas ouium sibi concessarum postulabat. Denique paruo tempore effecit, vt longè alius populus, alius clerus esse videretur. Etenim facilè est illi cæteros corrigere, qui sibi ipsi bene viuendi legem indixit, facillimeque in officio continentur homines ab eo, qui seipsum continet. Præclarè enim à sapientibus scriptum accepimus, *quales Principes in Republicâ fuerint, tales reliquos esse solere.* Hac autem laude, his virtutibus florentem Martinus Pontifex aptissimum iudicauit, qui ad componendam pacem inter Franciæ & Angliæ Reges legatus mitteretur. In Gallias igitur profectus est, & cum vtroque Rege sæpius collocutus, ad pacemque adhortatus, eos in admirationem sui attraxit; nulla munera, nulla dona accepit, sed solitam suam continentiam modestiamque seruauit. Et cùm se tum vtrique Regi, tum etiam omnibus maximè vitæ continentiâ, grauitate, ac prudentiâ probasset: tamen in tanta sententiarum diuersitate difficilè fuit concordiam statuere; Id tamen egit, vt ob suas virtutes tam Gallis, quàm Anglis relinqueret desiderium sui, & à singulis vir rectissimus atque optimus putaretur. Re infectâ Bononiam rediit. sensi ego, qui in Anglia tunc morabar, quanti à Rege fieret, quanti virtus eius & sapientia æstimaretur ab omnibus, quantaque cum omnium commendatione munus sibi iniunctum obijsset. Prædicabatur ab his, qui à Rege veniebant, continentia huius, innocentia, integritas, religio: & hunc vnum ad se missum aiebant sine ambitione, sine cupiditate: in quo veræ sanctitatis specimen eluceret; Etenim facillimè humana contemnit, qui Christum rectè sequitur: neque externis, sed suis fultus bonis, nihil extra concupiscit, virtutum fretus conscientia. Peruenerat ad Martinum celebris harum virtutum fama, multorumque sermone eius laus indies increbrescebat. Et quamuis antea certior factus erat, hunc esse vnum, quem laudabant omnes, cuius virtutum exempla extollebant, in quo nulla Inuidia ad carpendum

Dictum Platonis.

Mittitur in Galliam pro pace constituenda.

Plurimum commendatur ab Anglis.

locum inuenerat; tamen hac legatione prudentissimè obitâ, & moribus sanctissimis ductus, cum designauit, nullius precibus, nullius intercessione, sed sua sponte Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem. Hoc ignotum ei esse voluit, quoad Romam (accersiuerat enim illum per alterius negotij speciem) veniret; cùm iam prope vrbem esset, rem illi significari curauit. nulla lætitiâ, nullo gaudio, nulla elatione motus, eodem, quo antea, vultu permansit: vt palam fieret, humani fastigij insignia parui ab eodem existimari. Honorem illum suscepit, ne beneficentiam in se Pontificis contemnere videretur; Nihil ex eo ad virtutem, ad vitæ molestias multa addi cōspiciebat: vitam ita deinceps instituit, vt & dignitati consuleret, & Religioni; De priuata viuendi austeritate nihil mutauit, exteriora quædam auxit, quæ ad cultum spectarent, & tuenda tantæ dignitatis ornamenta; eadem integritas, eadem continentia, eadem pietatis officia, eadem benignitas permansit: & quò erat illo fastigio dignior, eò se magis indignum existimabat; nulla pompa, nulli fastus, nullæ opes impedimento fuêre, quò minùs semper omnem vitam puram immaculatamque præberet. Quicquid dignitate aut austeritate poterat, ad præsidia hominum conferebat. Permagna quidem inerat patientia & æquanimitas, ita vt summam modestiam, summam temperantiam, summam benignitatem semper ostenderit. Nemini vnquam nocuit, nemini vnquam maledixit, nemini est iratus; In diuitijs paupertatem, in dignitate humilitatem, in fastigio tanti honoris pristinam humanitatem seruauit. Quid loquar de liberalitate, vel, vt rectiùs loquar, de charitate, qua egenis & mendicis est opitulatus? Nolo hanc eius præcipuam laudem pluribus verbis efferre, quoniam, quæ Christi causa facta sunt, non humanam gloriam quærunt, sed præmia æterna. Sed mihi de ratione vitæ huius integerrimi hominis dicenti Imago eius ante oculos obuersatur, quæ pro eius religione, & sanctitate vetat, me in huiusmodi oratione esse prolixum. Nam quæ ab eo acta sunt, ait se velle potiùs Dei, quàm hominum testimonio comprobari. Non enim ad inanem gloriam, non ad vulgi pompam, non ad aliquem fastum se asserit, sed ad veram laudem, ad honorem sui Creatoris, ad immortalis Dei commendatio-

Fit Cardinalis S.R.R.

Permanet in dignitate æquè humilis.

nem, vitam & mores suos composuisse; Nihil se quæsijsse, nisi vt opera sua illi accepta essent, qui nouit abscondita cordis. Hanc verò seculi inanem gloriam, semper hunc populi plausum contempsisse, quæ sunt potiùs ad viuentium consolationem, quàm ad defunctorum salutem comparata. Cuius voluntati licèt parendum esse videatur, tamen aliqua ex parte meo desiderio, & ipsius in me meritis satis esse faciendum iudicaui. Cùm igitur sanctissimi viri virtus summo in honore, magnâ in reuerentia apud Martinum Pontificem esset, cumque eum omnes velut exemplar honesti intuerentur, fama verò virtutum apud omnes esset vulgata, Legatus missus est Venetias ad statuendum pacem inter Ducem Mediolanensem, ac Venetos, Florentinosque, quos inter acre bellum vigebat; & rectè ad pacem quærendam electus est is, qui pacis homo erat, & eam præ cæteris rebus salutarem mortalibus esse censebat. Quâ confectâ, licèt postmodum conditiones non seruarentur, & ob id bellum instauraretur, Romam reuersus est. Increbrescentibus belli malis, cùm maiora discrimina imminere viderentur, denuò ad eandem pacem procurandam à Pontifice destinatur; cuius in tractatu cùm sex menses consumpsisset, demum eius exhortationibus & prudētiâ Ferrariæ confectâ pace, ad Martinum (is tunc Ferentinūm pestis euitandæ causâ secesserat) redijt, summâ omnium beneuolentiâ. Erat Martino admodum cordi Galliæ pax: ad hanc rem, (si quo consilio aut humana ope componi posset) procurandam, hunc optimum virum esse accommodatissimum ratus, rursus ad Galliam Legatum destinauit; sed antequam Italiâ excederet, Pontifex obijt diem. Huic cùm successisset Pontifex Eugenius quartus, iter suum & legationem susceptam conficere iussus, biennio apud Gallos permansit. Non viliorem eum iteratus aduentus (vt plerumque contingere solet) reddidit, sed admirabiliorem; virtus enim quò diutius tractatur, eò magis placet, præsertim nulla offensione interrupta. Multa itinera in diuersa loca confecit, multos subijt labores, cùm sæpius ex morbo laterum & calculo maximè torqueretur. Sed virtute & constantia animi, infirmitates corporis superans, vtrumque Regem sæpius èst allocutus, exhortans ad concordiam, & ad deponēdam ambitionem; multa consilia Principum, & conuentus habuit,

N B. Authorem huius orationis.

Secūdo mittitur in Galliā Nuncius pacis.

Eugenius Pont. Martino successit.

buit, plurimas consultationes, in quibus multum consilij ostendit, multum auctoritatis ad rei confectionem; bellorum pericula ante oculos proposuit; quot, quantæque calamitates vtrique Regno prouenissent, recensuit; sanctorum Patrum præcepta, sapientum virorum consilia, singula omnium scripta & sententias, quæ eam in rem conferre videbantur, ad permouendas mentes hominum enarrauit. Sed gloria, ambitio, cupiditas, honor sæculi cùm inter se certarent, & communi bono obstarent, infecta pace abijt. Sed ita abijt, vt Regum vterque, & qui his aderant, profiterentur, nunquam se ei viro prudentia, fide, sanctimonia, vitæ integritate parem vidisse. Eadem enim & priori par integritas, abstinētia, continētia legationis fuit. Regū & cæterorū munera ab eo contempta; nihil horum appetijt, quæ alijs præclara & pretiosa videntur: satis sibi esse putans, licèt operam perdidisset, se boni viri officia omnia in eo legationis munere præstitisse. Erat amplior dignitas, sed cupiditas minor. Nihil sibi præter honorem & laudem Pontificis reportandum existimauit. Et quidem cùm multis pompa & apparatu rerum ac magnificentia seculi inferior videretur: virtute tamen & continentia superior omnibus erat, magisque in eo humilitas admirabilis erat, quàm in cæteris ornatus aut rerum cultus exterarum. Virtutum namque comitatu contentus, ea negligebat, quæ speciosa vulgus ducit. Rectè enim, vt Bias ille prudens, *omnia secum ferebat*, nullius exterioris cultus adminiculo egens. Non tamen obsoletam secum familiam habuit, sed quæ satis culta esset, & plus honestatis, quàm splēdoris circumferret; ita vt & contemptum fugeret, & superfluitatem. Ex Gallia rediēs, ex Pōtificis præcepto Basileam proficiscitur: vbi cùm multos tumultuantes aduersus Pontificis sedisque Apostolicæ auctoritatem comperisset, neq; popularis insania reprimi à se posse videretur, Florentiam venit, ad quam Eugenius post discessum ab vrbe se contulerat. Inde tertiò legatus in Galliam redijt præscripto Pontificis, qui pacem eorum Regum perutilem populo Christiano conspiciebat. Erat omnium opinio, aut huius viri sapientia & virtute, aut nullius alterius ope pacem eam esse futuram; nam is solus cùm neutri parti faueret, tantum enitebatur, quantum communis vtilitas postulabat; nul-

Maximi æstimatur à Francis Nicolaus.

Dictum Biātis, Græciæ sapientis.

Venit Basileam Nicolaus.

Tertiò it legatus in Galliam.

la affectione priuata, nulla beneuolentia mouebatur. Erat liber in consulendo animus, in decernendo æquus, nihil à recto declinans. Ibi consilio vtriusque gentis habito, communique desperata (propter diuersas sententias) pace, Ducem Burgundiæ, qui antea Regi Franciæ infensus erat, in gratiam Regis communemque beneuolentiam reduxit. Quæ res & statui regni, & Regi plurimùm conduxit. His actis summa cum laude Florentiam cùm reuertisset, denuò Basileam mittitur, si qua ratione aut sanari, aut reprimi posset eius auctoritate multorum temeritas; qui contra Romanum Pontificem insurrexerant; Sed superante & conualescente in diem stultitia, ac nequitia eorum, qui pacem Ecclesiæ peruertere nitebantur, relicto malignantium conuentu, venit Bononiam, quò Pontifex ierat. Cùm autem postea celebrandi Concilij gratia, ad quod Græci venturi erant, Pontifex Eugenius Ferrariam concessisset, in Germaniam ad Albertum Romanorum Regem, qui erat Nurembergæ, legatus mittitur, ad agendos conuentus Principum Germaniæ: ad obuiandum schismati, quod postea Basileensium vesania confecit. Hic multa in eo conuentu locutus, quæ ad deterrendos homines à schismate Ecclesiæ pertinebant, hortatusque ad Pontifici solitam fidem seruandam, Ferrariam regressus, postmodum mansit in curia, pauloque post à Pontifice in locum Cardinalis Vrsini (qui maior pœnitentiarius erat, diemque suum obierat) suffectus est. Quo in munere summa optimi viri pijssimique officia præbuit, id sibi munus demandatum arbitratus, vt salutem quæreret eorum, quibus Dei gratia lucem pœnitentiæ tribuisset. Mirum fortasse nonnullis videri potest, cùm tot Cardinales essent in curia, quibus hæ legationes tam variæ demandari potuissent, cur hic solus potissimùm eligeretur: Sed erant in eo permulta, quæ ipsi beneuolentiam hominum conciliabant, & præclarum reddebant apud omnes. Primùm, summa religio, summa integritas, & consummata sanctitas morum, cùm nihil in eo reprehendi posset: tum per omnem vitam temperantia & continentia singularis. Doctrina præditus erat ac scientia rerum plurimarum, vt viris doctissimis æquari posset. Erat in eo denique agendorum vsus ac experientia, quæ in eo summam prudentiam efficiebant. Accedebat consilij grauitas, & ani-

Iterum mittitur Basileam.

Mittitur legatus ad Albertum Regem Rom.

Fit maior Pœnitentiarius Pontificis.

mus in consultando omni passione vacuus. Auctoritas quantùm in vllo homine esse potest, virtute & bene agendo contracta, mores probatissimi, ætas prouectior, nullo vnquam tempore vllâ vel paruâ vitiorum labe notata. In negotijs tractandis ac perficiendis sapientissimus habebatur. His virtutibus addebatur humanitas quædam & mansuetudo, quæ eum summè gratum omnibus reddebant. Dignè ergo eius operâ in rebus arduis Pontifices vtebantur: cùm non ad quæstum aliquem, sed ad laborem officiosum, nō ad propriam, sed ad communem vtilitatem se mitti arbitraretur. Etenim ex his, quæ ab eo in officio legationum concedebantur, nullum emolumentum prætendebat, gratis condonabantur omnia ab eo, qui didicerat; *Gratis accepistis, gratis date.* Bona Ecclesiæ Bononiensis, quæ ipsi à Pontifice credita erant, secundùm canonicas sanctiones distribuit, maiorem partem in vsus pauperum & ædificiorum reparationem distribuens. Nam domos Episcopi instaurauit, & auxit pro dignitate Ecclesiæ & Vrbis. Domum quoque in vrbe, magnâ ex parte construxit iuxta Ecclesiam S. Potētianæ, in qua & habitauit remotus à strepitu populari, dum Romæ vixit; Parentibus, aut fratribus, aut alijs ex suo genere nihil ex bonis Ecclesiæ tradidit, afferens se dispensatorem à Deo, non largitorem esse constitutum. Familiam habuit honestam, quæ & honestatem seruaret, & contemptum vitaret: summam seruans in omni statu moderationem. Cibi fuit parcissimi. Nunquam post aditam religionem, neque in infirmitatibus, quibus grauabatur sæpius, neque extremo vitæ tempore carnes comedit; vino vtebatur, quod satis esset ad vitæ sustentationem. Religionis normam immaculatam seruauit, eam religionem sequens, quæ à Beato Iacobo Apostolo scribitur esse, *immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* surgebat media nocte, orationi vacans; lineis vtebatur vestimentis, cùm semper cilicio interiùs vteretur, ac recubans in stramentis; sacræ Scripturæ continuum studium impertiebat. Cū quid otij ab oratione & negotijs publicis superesset, humanioribus quoque studijs tantam operam dedit, quantum sacrarum litterarum dignitas patiebatur. vitam hanc cùm tanquam peregrinus & aduena transegisset, nihil in eâ aut spei aut momenti ponens, mortem quoque contempsit, cùm se ad meliorem sciret vitam

Eius præclaræ virtutes summatim recensentur

Matth. 10.

Qua ratione Ecclesiasticos reditus impenderit.

Iacobi 1.

Austeram semper duxit vitam.

Laborat calculo, & animam Creatori reddit.

profecturum; & cùm summo dolore torqueretur ex calculo, qui postmodum ad libræ pondus in eo repertus est, tanquam sciens extremum sibi diem instare, & medicos cõtempsit, & dolores immensos summa patientia pertulit, agens semper gratias Deo, qui ipsum etiam in extremo Spiritu exerceri ad patientiam vellet. Deficiente natura, animam Deo reddidit, nihil de rebus externis curãs, nisi vt & familiæ rationẽ haberet, & pauperũ meminisset: obijt Senis sexagesimo octauo ætatis anno. Exequiæ eius in maiori templo celebratæ: quibus Eugenius Põtifex, qui sanctissimum virum vnicè dilexerat, adfuit. Commendari profectò digna est, tum cæteris in rebus, tum in hoc maximè Romani Pontificis pietas, qui quod antea rarò auditum est, huic vni pręstitit. Annos iã quadraginta in Romana curia sum versatus, vltra quinquaginta Cardinales mortem obijsse memini: nullius vnquam funeri Pontifex vllus interfuit; At & Eugenij egregia virtus, ac defuncti merita postulare videbantur, vt in eius funere vetus consuetudo intermitteretur. Itaque & erga viuum suam beneuolentiam ostendit, & tali honore mortuo prębuit virtutum suarum testimonium sempiternum; laudanda est à nobis semper Diuina prouidentia, & in omnibus, quæ nobiscum agit Deus, gratiæ sunt agendæ: patienter verò ferenda, quæcumque eius sapientissimo nutu, licèt nobis incognito, videntur accidere. Veruntamen cogor aliquando non solùm admirari, sed etiam conqueri, parum videri prospicere tantam sapientiam rebus humanis, videmus enim tot nefarios homines, tot scelestos, (quorum opera in solam perniciem gẽtium spectant) versari in terris prospera valetudine, diutiusque viuere, quàm ferat communis salus: quos vtilissimum foret orbi aut nunquam natos, aut quàm primùm interijsse; eos verò, quorum est vita nobis salutaris, qui opere & exemplo prosunt, in quibus multorum refugium consistit, aut morbo à negotijs impediri, aut citius eripi nobis, quàm ratio Reipublicæ patiatur. Quamobrem pluribus verbis deflerem huius singularis viri mortem, deplorarem publica incommoda, lamentarer priuata multorum damna, & communem bonorum parentem subtractum nobis quererer, nisi censuram Dei timerem: & nisi vererer, ne videremur eius gloriæ, qua nunc in cœlis fruitur, inuidere. Tã-

Exequijs ipsis interest Eugenius Pontifex Rom raro exemplo.

NB. Authorem huius orationis.

Iudicia Dei abyssus multa, licèt iustissima sint.

tùm

tùm dico, bonos omnes patre optimo, egenos sanctissimo, Ecclesiam Romanam summo viro, sedem Apostolicam prudētissimo consultore, esse hoc talis viri obitu spoliatam: qui splēdorem Romanæ Curiæ, laudem Religioni, dignitatem suo ordini afferebat. Sed postquam ita visum est illi, cuius cōsilia sunt æterna, nos quoque in eius interitu consolemur, scientes ipsum in Beatorum numero collocatum. Doleamus, paulolum, si libet, incommoda nostra: illius vicem lætemur, qui nunc fert optatum fructum laborum suorum. Prosequamur quoq; grato animo memoriam eius, & virtutes infixas animo teneamus, conemur opera, & anteactam optimè vitam imitari, vt instar eius, ęternam gloriam nostris laboribus & actionibus diuina adiuuante gratia consequamur.

B. Nicolaus sanctus in cœlo est associatus.

DIXI.



VITA
B. NICOLAI ALBERGATI,

EX CARTHVSIANO EPISCOPI BONONIENSIS, ET S. R. E. CARDINALIS:

AVTHORE

DOCTISSIMO, AC CELEBERRIMO VIRO CAROLO Sigonio, historico graui, & fideli, qui floruit anno Domini 1560. eandemq; dedicauit Reuerendißimo ac Illustrißimo D. D. Gabrieli Palæotto, Episcopo Bononiensi, & S. R. E. Cardinali.

QVAE IAM IN PVBLICVM PRODIT STVDIO ET LABORE F. G. GARNEFELT, QVI EAM Bononiâ ex Nobili Albergatorum familiâ acceptam in capita distinxit, singulisque capitibus sua præfixit argumenta; scholijs etiam atque annotationibus marginalibus haud segniter illustrauit.



BENEVOLO LECTORI
F. G. GARNEFELT.

AD veras legitimasque historias venandas Iustus Lipsius requiri definiuit veritatem, explanationem, ac Iudicium. Hasce notas tres nullus in Sigonio desiderari dicet, qui iustus Censor esse voluerit. Nam imprimis ex verißimis monumentis hanc vitam contexuit: deinde iuxta consilium

Dionysij Halycarnassæi prudenter dispoſuit, copioſeque explicauit: postremò Iudicij libram in omnibus adhibuit, quod Tacitus quoque monuit historico faciendum. Accedit ad Sigonij commẽdationem, quòd in hac historiâ ex antiquis documentis plurima adferat, quæ apud nullum ſcriptorem publicum inueniuntur; atque ideò apud eruditos lectores, & antiquitatum amantes maiori in precio habenda erit. Quod autem attinet ad Conciliâ Basileense, ac Florentinum, quorum hic mentio fit, ſciendum est, quatuor eſſe genera Conciliorum. Sunt equidem 1. Generalia, 2. Nationalia, 3. Prouincialia, 4. Diœceſana. Et licèt vtrumque, id est, tam Florentinum, quàm Basileense, inter Generalia Concilia referatur, tamen etiam hic quædam distinctio obſeruanda erit. Generalia etenim quadruplicis generis ſunt.

1. *Quædam ſunt ab Apostolica ſede approbata.*
2. *Nonnulla omnino reprobata.*
3. *Alia partim approbata, partim reprobata.*
4. *Sunt etiam quædam nec manifestè approbata, nec reprobata.*

Hinc Basileense Concilium est tertij generis. namq; approbatũ est à Nicolao V. P. R. quantum spectat ad Eccleſiasticorum beneficiorum dispoſitiones quaſdam; & in hac parte non restitit ei B. Nicolaus noster; reprobatum verò est in Concilio Lateranensi vltimo, ſeſſ. 11. circa ann. Domini 1516. vt videre licet apud Surium Tomo 4. Conciliorum, pag. 683. quia volebat Concilium eſſe ſupra Pontificem Romanum: & in hac parte contrarius ei fuit B. Nicolaus. Porrò Concilium Florentinum primi generis est, id est, approbatum in omnibus & confirmatum. huic igitur ſubſcripſit ·NICOLAVS ALBERGATVS. Lege Surium 4. Tomo Concil. pag. 467. Plura de Concilijs inuenies Tom. 2. Bellarmini. Hæc te volebam ſcire opt. Lector.





PRÆFATIO AVTHORIS.

AD ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM, DOMINVM GABRIELEM PALAEOTTVM, S. R. E. Cardinalem atque Episcopum Bononiensem.



Vm pie Illustrissimæ ac Reuerendissimæ Amplitudinis vestræ impulsu nuper Episcopos Bononiensis Ecclesiæ, decessores vestros, ex veteribus monumentis eruerem, ac facta dictaq́; eorum illustria, quæ in magnis comperire superiorum temporum tenebris possem, breuiter litteris memoriæq́; mandarem: in vnum præcipuè incidi, cuius acta, vti parùm hominibus cognita, sic mihi ad scribendum commemorandumq́; amplissima visa sunt. Hic verò extitit F. NICOLAVS ALBERGATVS, Cardinalis, ciuis Bononiensis, ac clarus ex Carthusiensium familia Monachus: homo in maximis ante centum amplius annos Reipublicæ Christianæ negotijs diu multumq́; insigni cum Virtutis consilijq́; laude versatus. Verùm licèt ea fide, integritate, solertiâ, grauitate, atque in omnibus rebus agendis sapientiâ præditus fuerit, vt meritò homines tantam virtutis indolem admirari potuerint: externorum ferè tamen omnium auribus inauditus est; quòd, qui de eo quidquam litteris consignarunt, ea passim sub nomine Cardinalis sanctæ Crucis exararint. Ego verò, vt memoriæ Sanctissimi, sapientissimiq́; viri consulerem, ac simul egregias multasq́; eius actiones ab obliuione hominum, & litterarum silentio vindicarem, NICOLAI huius separare vitam, ac de rebus eius seorsim vberiore aliquantò, quàm scriptio Episcoporum illa deposcit, disserere ora-

tione decreui: præsertim verò multis vt abditis, sic præclaris monumentis (quæ adhuc in hac ciuitate ac familiâ conseruantur) adiutus. Hoc verò quidquid est, id totum in vestræ potissimum amplitudinis nomine volui diuulgare: quod ipsa in hac eadem, quam ille tenuit, Ecclesiâ administrandâ, cùm aliorum optimorum Antistitum, tum huius præstantissimi in primis ac religiosissimi summam prudentiam singularemq. virtutem omnium adhuc iudicio sic expressit, vt non tam eximio animi sui consilio, quàm præcipuo aliquo imitationis arbitrio, ad singularia eadem peruenisse cùm pietatis studia, tum sanctitatis officia videatur.





INCIPIT VITA.

CAPVT I.

STIRPS ILLVSTRIS, AC PRAECLARVM studium Adolescentis.



NICOLAVS igitur Bononiæ ex Albergatorum familiâ ortus est: cuius antiquitas præcipuè ex vetustis ciuitatis elici constitutionibus potest. In quibus Albergati circa annum Christi millesimum ducentesimum ædes celeberrimi nominis, in eadem vrbis parte, in quâ nunc quoque habitant, coluisse feruntur, quæ iam tum Seragotia dicebatur. Cuius seculi spatio Guilielmum etiam Albergatum, Nouariæ Episcopum, virum insigni pietate præditum, ipsi Nouarienses, Nicolao a IV. eius nominis Pontifice sedente, concelebrant. Inde in dissidijs ac dissensionibus, quæ deinceps Bononiæ emersêre, ciuilibus crebra ac perhonorifica ALBERGATORVM mentio reperitur. Nam anno millesimo trecentesimo tricesimo quarto ad veterem ciuitatis statum restituendum ipsi inprimis inter alias quasdam familias adfuisse narrantur, ac mox ex ijs Petrus Nicolaus potissimùm prædicatur. Qui, cùm Bononiæ primùm Tribunos plebis, nouæ administrationis ergò, creari placuit, vnus ex ijs fuit, ad quos inchoandi magistratus insignia, & quidem maximâ cum auctoritate tunc temporis delata sunt. Idem etiam, vt maiorum suorum quasi vestigia sequeretur, ei factioni studebat, quæ b *Maltrouersa* dicta, consilia & machinationes impedire profitebatur duarum illarum, quæ inter se tunc temporis in Italia odio exitiabili digladiabantur (Gibellinos & Guelfos c intelligo, ita primùm Frederico Secundo Impe-

rato-

a Hic præesse cœpit ann. 1288. iuxta Onuphrium.

De hac factione Leander, alijque Bonon. scriptores. Item Blondus decade 3. libr 3. Vide Nauc. gen. 38. circa an. 138.

ratore Germanico nomine vocatos.) Cæterùm populari inuidia fuit ex vrbe depulſus, atque detruſus, nec niſi poſt ſeptennium reſtitutus.

Ex hoc igitur anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto natus eſt Nicolaus, de quo ſcribere inſtituimus. Is litteris à Patre eruditus fuit, prout puerilis ætas imbui conſueuit. Inde corroboratior factus, ad ius *d* ciuile cognoſcendum, Bononienſium iuuenum more, ſe contulit. Quo ſtudio necdum abſoluto, diuino ſpiritu ad grauiora vocatus, incredibili quodam Religionis, quæ pio Dei cultu continetur, deſiderio flagrauit, atque arctiori ſe Carthuſienſium Monachorum diſciplinæ deuouit. Id quod diuino quodam videtur conſilio contigiſſe.

d *Anno ætatis 11. Zenus c. 1.*

CAPVT II.

ASSOCIAT SE CARTHVSIANIS, INTER QVOS *Prioratum tenuit Florentiæ, Bononiæq́;.*

CVM enim (vt vulgò inter Monachos illos acceptâ per manus hiſtoriâ fertur) quodam die extra vrbem ad Monaſterium illud animi causâ, vt fit, inuiſendum ſeceſſiſſet, fortè ſæuâ tempeſtate coortâ muris excluſus ibi pernoctare compulſus eſt: Quod primùm ægrè ferens, demum pro ſingulari beneficio accepit. Etenim concubiâ nocte, vbi Patres ad Matutinas laudes in Eccleſiam conuenire non obſcuro campanæ documento cognouit, & ipſe rei nouitate permotus acceſſit. Ibi verò poſitus, humili ac pio illo Monachorum per noctis ſilentium cantu vſque adeò eſt illectus, vt ſtatim habitûs eius aſſumendi, & ſolitariæ inter eos vitæ cum Dei laude agendæ cupido acris inceſſerit.ᵃ Quod poſt dies aliquot à Patribus illis haud magno admodum negotio impetrauit.

a *Factus Carthuſian⁹ anno ætatis 20. vt ex Zeno liquet, ca. 1. Nam ab 11. anno ætatis ſtuduit Iuri annis 9.*

Cæterùm Monachus factus, ſic in omni ordine, aſſiduitate, obedientiâ, humilitate, atque omnibus officijs Monaſticæ profeſſionis ſe probauit, vt à cunctis non humano impulſu, ſed diuino inſtinctu ad Religionis ſe contuliſſe ſtudium iudicatus ſit. Quin etiã poſt ãnos aliquot ea prudentiæ documenta ſimul ac diligentiæ dedit, vt Florentino primùm, deinde Bononienſi Monaſterio *b* præfectus ſit.

b *Romano etiam & Mantuano, vt cõſtat ex chartis Capituli generalis.*

CAPVT III.

RENVNTIATVR EPISCOPVS BONONIENSIS, *quamuis inuitus.*

ATQVE eo quidem tempore ob insignem famam integritatis atque sapientiæ celebratus, Bononiensis quoque Ecclesiæ Episcopus, magnâ populi consensione delectus est. Cui rei Deus hanc occasionem aperuit; Anno Domini M. CCCC. XV. comitijs Pontificijs diu, haud sine ingenti populorum admurmuratione in Concilio *a* Constantiensi protractis, cùm post septem menses Pontifex adhuc in Ecclesiâ nullus esset, Canetuli *b* ac Bentiuoli, familiæ duæ illâ tempestate opibus ac clientelis Bononiæ præpollentes, tempus oblatum esse veteris libertatis recuperãdæ duxerunt: ac consilijs inter se occultè cõpositis, sequenti anno pridie Nonas Ianuarias cum armatis factionibus in palatium irruperunt: ac Legato, quem Ioannes XXIII. Pontifex abdicatus imposuerat, exturbato, Rempubl. popularem, quem statum libertatis vocauerant, reduxerunt. Mox quoniam sexcentorum consilium commodè ad subitas conuocari consultationes non poterat, sexdecim viros constituerunt, qui consilij auctoritate ornati omnibus rebus prospicerent, quæ celerem consilij explicationem desiderarent. Ita proximo anno Ioanne Episcopo IV. Nonas Ianuarij mortuo, Magistratus, penes quos ipsa fuerat Respubl. collocata, ius eligendi Episcopi ad se recidisse interpretantes, sexaginta viris, quorum iniussu nihil constitui poterat, aduocatis, plures eximiæ doctrinæ probitatisque viros nominauerunt. Qui singulis diligenti atque accurata ratione perpensis, vnum NICOLAVM Albergatum Priorem Carthusiæ prætulêre. Eorum verò iudicium, deinde Antiani, ac reliqui magistratus, ac demum vniuersum sexcentorum consilium ita probauit, vt nemo planè de illius dignitate meritisque dissenserit. Itaque consilio tertiâ noctis horâ dimisso, multi, patefacta vrbis porta, magna properatione, vt tanti nuncij fructum prærriperent, Carthusiam adierunt, ac Nicolao iudicium & decretum ciuitatis aperuerunt, eique honorem, & priuatim & publicè gratulati, vt postridie in vrbem ad di-

a Durauit ab an. 1414. vsque ad 1417. quo anno in eo electus est Martinus V. Ita Onuphrius.
b De his AEneas Syluius in Europa c. 53.

gnitatem accipiendam, & gratias consilio ipsi agendas, accederet, inuitarunt.

CAPVT IV.

CONSENTIENS TANDEM IN ELECTIONEM ab Archiepiscopo consecratur.

ILLE verò, qui studijs vitæ solitariæ deditus, animo longè ab Episcopali officio abhorrebat, ac secreto contentus otio, lucem hominum, ac frequentiam fugiebat, neque Episcopalis obeundi officij difficultates, ac salebras ignorabat, cœpit a recusare, ac se neque honorem illum accepturum, neque ea de causa pedem monasterio suo moturum esse, asserere: deinde postquam se ciuium atque amicorum suorum & publico & priuato nomine agentium oppugnari postulatis atque vrgeri precibus vidit, vt eorũ à se impetum aliqua ratione propelleret, addidit sibi nõ licere sine præfecti sui consensione eiusmodi onus accipere; si ipsius intercessisset auctoritas, se ciuitatis tam bene de se iudicãtis in potestate futurum. His rebus postridie in vrbem renunciatis, populus, vt hoc impedimentum amoliretur, extemplò Antonium Albergatum Iurisconsultum arcta ipsi necessitudine iunctum ad Carthusiam in Galliam properare, atque ab ipso, qui ibi sedebat, Præfecto, NICOLAVM Episcopum petere præcipui loco beneficij iussit. Is Ianuario mense profectus, Maio b rediit, ac Præfecti, & Capituli Generalis assensum congruentem cum ipsa populi voluntate reportauit. Hac accepta sententia, consilium nouis nuncijs missis, NICOLAVM ad se venire rogauit; cuius ille volũtati non obsequi turpe ratus accessit; Ibi verò ad accipiendam, quæ tãto ciuium studio deferebatur, Ecclesiam obsecratus, primùm indignum se, nec tanto onere sustinẽdo parem excusauit: Deinde illorum precibus defatigatus, sic se assensurum adiunxit, si populi prærogatiuã Cleri iudicium confirmasset. Neque enim æquum videri, quenquam Clero præesse, quem c non Cleri ipsius testimonium approbasset. Qua re audita, consilium Canonicos statim coire, & NICOLAVM à se editum iussit deligere. Ita Canonici Capitulo aduocato sua sententia comitia populi confirmarunt. Hoc verò vbi NICOLAVS præter opinionem accidisse suam animaduertit, in

a Copiosius ista Zenus c.3.

b In altero MS erat Martius sed hoc mense Capitulum non solet inchoari.

c Quorum sit eligere Episcopos, vide Bellarm. de Cler. l.1.c.7.

Consilium reuersus, vt alio moræ genere decreto animi sui aliquid subsidij compararet, nequaquam se vacante Romana sede, sine Archiepiscopi Rauēnatis auctoritate eiusmodi honorem initurum asseruit, atque extemplò Petrum Ramponum, & Andreā Brunum Canonicos, Procuratores suos ad Archiepiscopum destinauit. Verùm & hi mense Maio *d* Ferrariam, vbi Archiepiscopus versabatur, profecti, nullo negotio illius assensionem obtinuerunt. Quibus decretis NICOLAVS euictus, tandem ad supplicationes se contulit, & ne se ascitam deserere disciplinam & susceptum secretioris vitæ propositum subigerent, obsecrauit. Populus autem eius preces aspernatus, atque eò vehementiùs ad ipsum euocandum accensus, Archiepiscopum ad eum consecrandum acciuit. Is cùm in exitu Iunij accessisset, hominem ad se in Palatium accersiuit, & benignè ac comiter appellatum, vt adhuc recto populi reluctantem studio sensit, haud leuiter commotus, pertinaciam *e* eius vehementiùs incusauit, atque ab eo se, ni parêret, rationem ouium sibi à Deo commissarum in conspectu diuini Iudicij repetiturum esse denunciauit; Nimirum haud sine diuino Numine tantum populi in eum consensum esse commotum, quem, graue nefas committeret, si qua ratione contemneret. Quibus verbis, quasi ex ipsius Dei ore emissis, NICOLAVS exterritus, atque vltrà repugnare non ausus, se facturum, quod populus peteret, atque ille suaderet, ostendit.

d In vno Ms. erat Martius.

e Æneas Syluius in Bohemia, ca. 16 de Strenuitate.

CAPVT V.

IN EPISCOPATV PRAEEST LAVDABILITER exemplariterq́;.

ITA rebus constitutis, IV. Nonas Iulias ab Archiepiscopo in æde Carthusiæ, ingenti populi, qui auidè confluxit, astante frequentiâ, solemnem consecrationem accepit. Quo facto, Porta S. Stephani, vt moris est, vniuersa obuiam effusa, cum Magistratibus ciuitatem ingressus vsque ad ædem S. Stephani eques sub holosericaa vmbella processit: inde positis calceis, pedes ad Basilicam S. Petri contendit, atque Ecclesiæ possessionem, ipso assiduè plaudente præ lætitia populo, inijt. Exemplum inde S. Petronij, *a* atque eorum

a De quo Mart. Rom 4 Oct.

rum, qui priſcis temporibus floruerunt, Antiſtitum imitatus; Epiſcopi partes ita ſuſcepit, vt ſe tamen Monachum eſſe haud fuerit oblitus. Nec ſe magis ſancti Zamæ *b* primi Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopi ſucceſſorem, quàm beati Brunonis Carthuſienſium ordinis Inſtitutoris æmulatorem eſſe meminerit. Etenim cum Epiſcopali dignitate ſimul & Monaſticam diſciplinam in omnibus officiorum generibus conſeruauit: Siquidem eandem in corde humilitatem, in veſtitu præſertim intimo vilitatem, in aſpectu pudorem, in cibo potuque tenuitatem, in cilicio & ieiunijs aſperitatem, in fundendis ad Deum precibus aſſiduitatem Epiſcopus tenuit, quæ *c* Monachus aſſcriptus aſſciuit. Nam & carne perpetuò abſtinuit, & in culcitra non ſe collocauit, ſed victum, cultum, ac ſtratum idem celebrauit, quibus ſe Monachalis primùm vinculo legis aſtrinxit. Tantum autem ſibi de facultatibus Eccleſiæ reſeruauit, quantum familiæ ſuæ, (quam moribus magis, quàm numero ſpectatam alebat) ſat eſſet; reliquum inopibus ſuſtentandis, & maximè puellis nubilibus, quæ dote carerent, collocandis impertire ſolitus fuit. Eruditis autem hominibus, aut laudem aliquam ingenij cultioris habentibus, mirificè ſtuduit, atque eis non ſolùm anguſtijs rei familiaris oppreſſis præſto fuit, ſed etiam quos idoneos eſſe iudicauit, ad Eccleſiaſticos honores dignitateſque prouexit. Tantus enim eſt virtutis ſplendor, vt non minorem laudem conſequantur, qui virtutem honorant, quàm qui ipſam adepti ſunt. Quorum duo ex ipſius domo, quaſi ex quadam doctrinæ ac ſanctitatis officina progreſſi, deinde Pontificatum *d* Maximum ſunt adepti; vnus Thomas Sergianenſis, quem ex domeſtico puerorũ Magiſtro ſibi ad ſcribendas epiſtolas miniſtrum aſſumpſit, ac pòſt dignitate Canonicâ decorauit. Alter verò AEneas Syluius, Picolomineus, Senenſis, quem in Legationibus non tam peregrinationum atque itinerum comitem, quàm actionum & conſiliorum auctorem, participemque habuit. NICOLAVS V. ille, hic PIVS II. in Pontificatu vocatus; Tertius fuit Franciſcus Philelphus, homo inſigni Græcarum ac Latinarum litterarum cognitione, ac ſcriptorum nobilitate conſpicuus, quem haud ſatis à fortunæ bonis inſtructum in amicis intimis habuit, atque amplexus ita fouit, vt multis eum commodis atque honoribus *e* auxerit.

b De quo 24. Ian. M. R.

c Idem habet Poggius in orat. fun. & Zenus c. 19.

d Vide Platinam in Nicolao V. & Pio II.

e Addamus hiſce alũnis Poggium Florent ac Petram Noxetanum.

Suis autem, id est, consanguinitate coniunctis, nihil vnquam Ecclesiasticæ benignitatis impertijt, siue quòd eos ære familiari satis paratos beneficijs eiusmodi non egere sentiret, siue quòd bona Ecclesiæ non ad familias Episcoporum locupletandas, sed ad turbas egentium sustentandas, conferenda esse sibi persuasisset. Inde ad Clerum emendandum, quem ex deprauatâ seculi disciplinâ dissolutiorem putabat, laxiorem, ac molliorem eius habitum castigauit; atque vt angustiorem & crudiorem, sic grauiorem atque honestiorem effecit, ac sacris eum officijs maiori frequentiâ & insigniori modestiâ interesse præcepit.

CAPVT VI.

REFORMARE NITITVR SVBDITOS SVOS in omni statu.

CVM porrò Iudæos *a* sine discrimine inter Christianos versantes videret, rem mali exempli, ac mirifici ad disciplinam nostram corrumpendam incitamenti ratus, circulum eos iussit luteum, vt à cæteris dignoscerentur, in pectore gestare, & festis diebus clausas tabernas habere, & Quadragesimali tempore ab emendis carnibus abstinere. Cùm res eò licentiæ processisset, vt se cum Christianis temerè commiscerent, atque ipso etiam die Paschæ tabernas vendendi causâ apertas haberent, & per ipsos Christiani ieiunij dies carnes à nostris emptas publicè esitarent, ac quodammodo instituta nostra ludificarent: mox vsuras eorum grauiores liberioresque coërcuit. Nam cùm senos denarios in singulas libras exigere instituissent, quaternis esse contentos statuit.

a Idem habet Sigonius lib. 4. de Episc. Bonon.

Interim post longas Patrum dissensiones, Martinus Quintus tertio Iduum Nouembris *b* Pontifex declaratus est. Quod vt ipse audiuit, continuò ab eo Apostolicam Episcopalis dignitatis à populo cleroque delatę confirmationem poposcit, seque totum eius auctoritati iudicioque permisit. Quod Martinus, compertâ hominis virtute, ac sanctitate permotus, sine vlla detrectatione, licèt non mediocriter ipsi à se alienatæ ciuitati offensus, assensit.

b Sic & Onuphrius.

Inde sequenti anno, vt antiquam Cleri disciplinam reuocaret, 13. Kal. Iunias Synodo præclaras constitutiones, olim à Bernardo Episcopo *c* editas, instaurauit, quæ obsolescere perditâ seculi contuma-

c Hic obijt anno 378. Sigonius de Episc. Bonon.

tumaciã cœperant. Tum ad Monasteria, quæ tristi superiorum tẽporum calamitate perierant, renouanda conuersus, duas Canonicas proximis bellis afflictas, ac Canonicis Regularibus vacuatas, accepto Pontificis decreto, restituit. Ex quibus vna fuit S. Gregorij extra portam S. Vitalis, quam ad vnum Priorem, Canonicumque *d* redactam, à veteribus Canonicis S. Augustini ad nouos S. Georgij in Alga traduxit. Altera S. Mariæ ad Rhenum, & S. Saluatoris in vrbe. Etenim cùm Franciscus Ghiselerius earum Prior petijsset, vt cùm Monasteria sua Canonicis propter bella prorsus exhausta essent, sibi liceret Stephanum, Ioãnem, & Dominicum Senenses, & nonnullos alios Canonicos Monasterij S. Ambrosij Eugubini (eiusdem ordinis, sed alterius habitus & obseruantiæ) iungere, mandato Põtificis, re cognitâ eos in vnum contraxit, ac Canonicos Regulares S. Saluatoris vocauit. Legi adhuc apud eos litteras Martini in hanc sententiã datas Friburgi Lausamensis diœcesis Nonis Iulij. Quibus actis, postremò oculis in Laicorum mores coniectis ludos *e* aleatorios magno animi dolore vulgò sic per vrbem celebrari animaduertit, vt non solùm ciues eò cum insigni Diuinæ legis contemptu & magno Patrimoniorum dispendio conuenirent, sed etiam publicum ex ea re vectigal institutum haberent. Quam consuetudinem ipse adeò improbauit, vt edicto grauiori proposito, & vectigal, & conuenticula illa damnarit. Pauperes autem ciuitatis, pro insito charitatis studio, miseratus tributo in fabricam S. Petronij cõferendo leuauit. Postremò Basilicam atque Episcopium contemplatus, cùm multas partes vetustate obsolescentes instauratione egere videret, ne id quidem sibi putauit esse prætermittendum. Itaque campanarij fastigium ex ligneo lapideum fecit, ac totum laminis plumbeis cooperuit. In Episcopio verò aulam insignem, & multa cubicula ædificauit, ac Bibliothecam publico vsui magna supellectile librorum instruxit; quarum rerum nunc etiam vestigia aspiciũtur. Sed hæc posterius. Has autem omnes laudes apud populum cumulauit singularis humanitas, *f* ac facilitas admirabilis, quòd aditus ad eũ non minus patebãt Episcopum, ac si priuatus in ædibus suis egisset, aut Monachus adhuc in humili cellâ cõsideret. Quibus & eiusmodi alijs præclaris ad vitę sanctioris opinionem institutis eam apud omnes homines

d Hunc Sigonius lib. 4. de Episc. Bonon. vocat conuersũ.

e Vide Sigonium de S. Bernardino Senensi, lib. 4. de Episc. Bonon.

f Eandem virtutem Poggius laudat.

virtutis atque innocentiæ famam adeptus est, vt eum non solùm Ciues admirarentur; sed insolito etiam ijs temporibus cultu venerarentur; siquidem & genua prætereunti ponebant, & capita inflectebant, & in supplicationibus publicis incedentem multi nudis pedibus honoris eius ac reuerentiæ caussâ prosequebantur.

CAPVT VII.

MAGNA EST IN AESTIMATIONE APVD Martinum V. Pontificem Romanum.

QVibus rebus compertis Martinus Pontifex eidem tantum propterea tribuere cœpit, vt cum solemni fidelitatis iureiurando ipsum obstringere vellet, & tamen labore sui adeundi leuare, Sacramentum apud Mutinensem, & Immolensem Episcopos concipere iusserit; extant adhuc ipsæ ad Episcopos illos litteræ, a Gebennis VI. Kalend. August. datæ, quas in hanc historiam inserere libuit vnà cum alijs, quæ apud ALBERGATOS seruantur, ex quibus fermè hunc commentarium contexuimus; sunt autem hæ: *Cùm nos nuper electionem de personâ Fratris nostri NICOLAI Episcopi Bononiensis, per dilectos filios Capituli Ecclesiæ Bononiensis ad eandem Ecclesiam, tunc Pastoris solatio destitutam, necnon eiusmodi electionis confirmationem, & consecrationis impensionem, eidem NICOLAO Episcopo, per venerabilem fratrem nostrum Thomam* b *Archiepiscopum Rauennatem, auctoritate ordinariâ, sede Apostolicâ vacante, factas de fratrũ nostrorum consilio, auctoritate Apostolicâ duxerimus ratificandas, ac etiam approbandas, nos volentes eiusdem Episcopi in illis partibus commorantis parcere laboribus, ac expensis, ne per hoc cogatur veniendo ad Romanam curiam personaliter laborare, fraternitati vestræ, auctoritate præsentium, committimus, ac mandamus, quatenus ab eodem Episcopo nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ recipiatis, seu alter vestrûm recipiat iuramentum, iuxta formam, quã sub Bulla nostra mittimus interclusam.* Hoc autem iusiurandum Martinus eò studiosiùs requisiuit, quòd Bononiam ab Ecclesiæ auctoritate remotam acerbissimè ferens, quantum ad eam recuperandam spectata NICOLAI Episcopi auctoritas habitura ponderis esset, non ignoraret.

a *Est illa vrbs Galliæ, in qua tunc Põtifex morabatur.*

b *De quo Hieronym' Rubeus in hist. Rauen*

ITAQVE cùm paulò pòst Constantiâ Mantuam *c* accessisset, ac dies noctesque de Bononiâ recipiendâ cogitaret, ipsum statim ad se venire præcepit, atque humaniter inprimis acceptum, per multos dies secum in eisdem ædibus habuit; Atque omnia, quæ ille postulauit, mirâ libertate indulsit; ac demum consilio suo nudato, Oratorem ad Bononiensem populum destinauit, petens vt sibi vrbem ditionis nuper Pontificiæ restituerent, à qua vesano nonnullorum consilio discessissent. Nam se (quoniam Romam adire tumultibus intestinis exclusus non posset) Bononiæ sedem, aulamque Pontificiam constituere ad ipsius honorem & commodum decreuisse. Quod postulatum populus primò disertissimè abnuit: Deinde saniore consilio, ne belli inferendi necessitatem inclementiore responso afferret, illud ipsum emendandum putauit, ac sequenti anno NICOLAVM eundem cum duobus alijs oratoribus remisit, qui ei sponderent, populum quotannis tributū septē aureorum millium, & certū equitum numerum arbitrio eius in sex menses daturum, si sua se vti Republica ac libertate permitteret, ac sacrâ Ciuitatis obedientiâ contentus, nihil præterea postularet. Quam ille conditionem difficultate vi potiundæ vrbis deterritus in præsens accepit; Atque inde Florentiam per viam Rauennatem transcendit, quâ in vrbe per annum amplius mansit, ac liberaliter habitus, eam gratiam retulit, quòd Ecclesiam ad fastigium Archiepiscopale *d* prouexerit.

c Xenus cap. 4.

d Consule S. Antoninum, & Ioannem Villanum, &c. de rebus Florent.

CAPVT VIII.

EXORTO BONONIAE TVMVLTV CIVIVM, quàm prudenter atq; constanter sese habuerit.

POstero anno Antonius Bentiuolus, Ioannis (qui prioribus annis *a* dominatum vrbis per aliquot menses administrauerat) filius patriam recuperare suâ auctoritate desiderans, VII. Kal. Februarias, propriâ adiuuante factione, Palatium introrupit, ac potestatem nactus, Canetulos sese cœptis eius obijcientes, primùm foro, deinde decreto consilij vrbe eiecit. Qui Florentiam ad Martinum profecti, Antonium tanquam Pontificiæ vrbis impe-

a vide Blondum dec. 3. lib 3. & Volaterran. li. 4 Geogr.

rium sibi temerè vindicantem, accusauerunt, atque ipsi se ad eam recipiendam præsto futuros esse polliciti sunt.

Quibus rebus Martinus in spem haud leuem recuperandæ vrbis adductus, prid. Kal. Mart. oratores Bononiam misit, qui verbis suis denunciarent, nisi vrbem sibi vltrò darent, se quacunq; vi subacturum. Quibus consilium respondit, populum Bononiensem eo animo esse, vt antiqua vrbis suæ possessione & ciuitatis libertate decedere nolit, proque eâ fortunas omnes atque ipsum adeò sanguinem profusurus sit: Pontificem autem submissè orare, vt conditionibus stare secum Mantuæ pactis velit, in quibus disertè ipse, se certo tributo, & sacro ciuitatis obsequio contentum fore, promisit: Deinde profectis illis, prid. Nonas Martij, iterum NICOLAVM Episcopum cum duobus alijs ablegauit, ac coràm eadem referre Pontifici iussit. Quibus cum mādata exposuissent, sic Martinus respondit: Ite, ac populo vestro renunciate, nisi vrbem vsq; ad diem tertium Paschæ in meā potestatē tradiderit, me illi sacra officia interdicturū, execrationes quàm atrocissimas possit Ecclesia inflicturum, ac firmissimū exercitū ad vastandum agrum atq; oppugnandam vrbem missurum. Ac mox duobus Oratoribus dimissis, NICOLAVM retinuit, ac post quinq; dies domum repetere, & sacrorum officiorum *b* interdictum solemni Ecclesię more promulgare mandauit. Ita NICOLAVS in patriam VII. Kal. April. reuersus, (cùm Episcopum nodo Sacramenti deuinctum, auctoritatem Pontificiam repudiare nefas esse putaret) mandata eius, quāquam inuitus exhausit; Etenim postridie, dum opera sacris dabatur, in S. Petri Basilicam venit, ac silentio indicto, Interdictum, quod secum attulerat, ad aram maiorem pronunciauit; Deinde ad Valuas Basilicæ Sancti Petronij, & postes Palatij affigendum curauit: Demùm ipsis Gymnasij Rectoribus ac Magistris accitis, nomine Pontificis publicæ professionis munus inhibuit. Quibus rebus perspectis, ciuitas suum sic erga illum animū *c* immutauit, vt, quem antea in oculis ferret, ac summis in cœlum laudibus tolleret, tum planè alienata, maledictis asperioribus lacerare, vt publicæ dignitatis hostem, ac Pontificis, quàm patriæ studiosiorem, instिterit.

b Zenus c.6.

c Zenus c.7. hæc vberius tractat.

Quæ cùm NICOLAVS comperta omnia plurimorum narratio-

ne ha-

ne haberet, atq; insidias etiam nonnullorum, quæ propterea sibi structę dicerentur, timeret; vrbe egressus, ad Carthusiam, atq; inde Florentiam properauit. Mense inde Maio, Martinus missis Bononiā oratoribus, apertè bellum (nisi dicto sibi audientes essent) indixit. Ac mox, vbi monita minasq; despici suas vidit, Braccium Perusinum Ducem suum cum exercitu validissimo in agrum immisit. Quo facto, Braccius castella fermè omnia duorum mēsium spatio in potestatem aut vi, aut pactione redegit, ac captiuos multos abduxit, & aquam Rheni in vrbem influentem aliò deriuauit, aç demùm agro toto latè vastato, maximis ciuitatem opportunitatibus spoliauit. Cùm autem propediem castra se vrbi quoq; admoturum ostenderet, Antonius Bentiuolus, qui Principem in vrbe agebat, ne ciuitatem in maius discrimen adduceret, veritus, consilium vrbis dedendæ cœpit, ac prid. Idus Iulij in castra (in quibus erat d Cardinalis Pontificis Legatus) processit, ac pactis conditionibus, in vrbem regressus, relatione de bello finiendo factā, ex consilij auctoritate deditionem constituit. Ita XII. Kal. Aug. Braccius cum Cardinale Legato, & parte equestrium copiarum ingressus, vrbis possessionem accepit; Inde 7. Idus Augusti Oratores Florentiam à consilio missi, vrbem Pontifici æquis, vt voluerunt, cōditionibus tradiderunt. Post VII. Kal. Sept. Alfonsus Diaconus Cardinalis S. Eustachij, Legatus, vrbem iniuit, atque eam nomine Pontificis ex pacto administrare cœpit.

d *Hic fuit Gabriel Cōdulmerius: vt cōstat ex Zeno c. 7.*

Eodem etiam tempore NICOLAVS Episcopus ad Ecclesiam suā reuersus, atq; à populo benignè acceptus, aduocatis Magistratibus, decretum Pontificis recitauit; quo ipsi Centum & Plebem oppida, e triginta quinq; ante annos Episcopo adempta, reddere iubebantur: ac subinde, illis non repugnantibus, per Episcopum Immolensem Vicarium suum, solemnem eorum possessionem adiuit. Inde rebus Ciuitatis compositis ad pristina boni pijque Pastoris officia per otium concelebranda se contulit, indies magis eximiæ prudentiæ, probitatisque suæ opinionem confirmans.

e *Sigonius l. 4. de Episc. Bonon. addit Maxumaticum oppidum.*

CAPVT IX.

LEGATVS DESTINATVR IN GALLIAM A Pontifice Romano ob pacis fœdera constituenda.

a An. 1422. quo obijt Rex Galliæ Carolus VI vt Gordonus habet.

ITaque biennio pòst, *a* cùm res incidiſſet, quæ præſtantis, ac ſingularis viri operam auctoritatemque apud Gallicos inter ſe armis ſæuientes Principes poſtularet, Martinus ad eam pro dignitate Eccleſiæ tranſigendam, ipſum ex omnibus aptiſſimum iudicauit. Res autem erat huiuſmodi; vetus inter Ioannem Ducem Burgundiæ, & Carolum ſextum Regem Franciæ bellum gerebatur: quod accenſis vtrimque mutuis offenſionibus euſque proceſſerat, vt Ioannes Lutetiâ Regni Gallici ſede occupatâ, Carolum Regem ac Reginam, & Catharinam filiam in poteſtatem adduceret. Quo facinore perpetrato, acceſſit, quòd cùm Ioannes Dux, ac Carolus Delphinus, ipſius Caroli Regis filius, in oppido *b* Monſterioli, de communi pace acturi conueniſſent; altercatione fortè de præteritis iniurijs ortâ, Ioannes ab vno ex Delphini comitibus repentè gladio educto per iracundiam fuit occiſus. Qua re audita, Philippus Ioannis filius, qui Lutetiæ erat, exacerbatus, Carolum Regem cum Regina, & filia, Henrico Angliæ Regi (veteri ipſius Caroli hoſti, atque armatum exercitum in Gallia tum habenti) tradidit. Ex quo bellum atrocius, quàm antè recruduit, Burgundo & Anglo aduerſus vnum Delphinum, communi armorum fœdere ſociatis. Quod quieti, & commodo Chriſtianorum vehementer obeſſe ſentiens Pontifex, nuncium ſibi mittendum ad eiuſmodi ſedandas diſcordias, & conciliandos, ſi poſſet, animos arbitratus, neminem ipſo NICOLAO potiorem exiſtimauit; in quo non ſumma ſolùm ſolertia, ſed ſingularis etiam ſplendeſceret innocentia, quas plurimum illi auctoritatis & fidei conciliaturas *c* eſſe apud Reges Tranſalpinos putauit. Quamobrem ne illi ſui Romam adeundi (nam eò paullò antè Florentia venerat) neceſſarium onus imponeret, litteras Bononiam, vnà cum ipſius rei tractandæ commentario miſit, quæ adhuc ſeruantur apud Canonicos in hæc verba:

b Quod eſt in Picardia ſitum Copioſius hæc Robert Gaguin li. 9. circa finem

c S. Antoninus in chron. p. 3 tit. 22 c. 9. § 7.

Cùm

Cùm dudum graui & atroci dissensione Principum Gallorum pestiferum bellum suscitatum in Regno Franciæ & vicinis partibus viguerit, & vigeat de præsenti, cum exterminio illarum Gentium, & iactura grauissima totius Reipub. Christianæ, nos cupientes tantis malis finem imponere, & indurata Principum corda placare, & ob hanc ptam caussam tam necessariæ & sanctæ pacis ad partes illas Nuncium Apostolicum destinari, qui in conspectu Principum & populorum iustus & idoneus prædicator, & suasor pacis, & Charitatis existat; te ad hoc sanctum opus ex omnibus Prælatis eligimus, dignissimum nuncium tantæ pacis, profecturum ad Charissimum in Christo filium nostrum d *Henricum Regem Angliæ illustrem, & ad dilectos filios nobiles viros Delphinum, &c. & Ducem Burgundiæ, & inter ipsos pacem ac concordiam tractaturum. Nam post omnipotentis Dei misericordiam plurimum in tanto negotio de tua sapientia & singulari virtute cõfidimus, & speramus, quòd vltra profundos sensus tui naturalis ingenij subministrabit Spiritus S. deuotioni & humanitati gratiã; vt verba nostra ex ore tuo cũ fructu exaudiantur. Quare fraternitatẽ tuã in Domino hortamur, & affectuosè rogamus, vt in tanti & tam communis boni procuratione nos adiuues, & ptum hunc laborem non refugias: sed pro tot populorum quiete, & salute fidelium, promptá ac lætá mente suscipias. Cæterùm hac de causa te ad nos venire noluimus, & laborem itineris duplicare: sed pro informatione tua inclusas præsentibus agendorum instructiones mittimus, & litteras nostras, cum copijs ipsarum litterarum, quas Principibus ipsis scribimus super ista materia; volentes, quòd instructionibus supradictis dicendo, & agendo, & negotium hoc tractando, addas & minuas, secundùm quod circumspectioni & prudentiæ tuæ videbitur expedire. Datum Romæ apud S. Petrum VI. Idus Febr. Pontificatus nostri anno V.*

d *Hic fuit Henricus V. Vide Polyd. Vergil.*

Quibus litteris acceptis, NICOLAVS honestæ voluntati Pontificis in re tanti momenti aduersari non ausus, sese ad iter instruxit; ac VII. Kalend April. cum eximio Bononiensis Nobilitatis flore profectus, in Galliam properauit, ibique liberalibus officijs propter eximiam virtutis ac vulgatæ sanctitatis opinionem exceptus, rem tractare cum vtraque parte summâ curâ instituit. Verùm cùm ab vna parte parentum sororisque captiuitas, ab alterâ cædes paterna, ipsa iuuenum pectora non solùm versarent, sed ad

vlciſcendum etiam inflammarent, atque ad rem armis conficiendam pro vtriuſque obtinenda dignitate percellerent, nihil efficere potuit. Quare ſubſecutâ Regis quoque Henrici morte deterritus, ſequenti anno Bononiam VI. Idus Aug. *e* re infectâ reuertit.

e *Zenus c 8. ait ipſum 18. menſibus in Gallia manſiſſ: & tunc Romam poſt Bononiam rediiſſe.*

CAPVT X.

CREATVR A ROMANO PONTIFICE CARDINAlis, & ablegatur ad Venetos Florentinosq; conciliandos.

EOdem anno Martinus Gabrielem Condulmerium Cardinalem Legatum in vrbem miſit: ac proximo (quòd Florentinis contra Ducem Mediolanenſem ſecum fœdere iunctum adeſſet) reuocauit; atque eidem Ludouicum *a* Archiepiſcopum Arelatenſem ſuffecit, qui V. Idus Iunias Bononiam profectus, conuocato conſilio, Pontificis voluntatem expoſuit, quâ Gabrieli legationem abrogabat, & Florentinos milites ab eo conductos dimitti præcipiebat; quæ cùm latinè (erat enim Gallicus) edidiſſet, NICOLAVS Epiſcopus, qui accitus aduenerat, Italico ſermone retulit.

a *De quo Blond. dec. 2. lib 3 & Æneas Sylnius in Europa. c. 42.*

BIENNIO vero interiecto, idem cùm rebus Romanis aliquando conſtitutis Cardinalium numerum plurimorum morte imminutum ſibi augendum exiſtimaſſet, inter cæteros, quos illo honore, virtutis gratiâ, decorandos putauit, NICOLAVM ipſum animo deſtinauit, atque eum conſilio diſſimulato ad ſe venire iuſſit. Deinde IX. Kalend. *b* Iunias eundem cum cæteris Cardinalem renunciauit, atque ei iam ad vrbem aduentanti obuiam ipſa dignitatis inſignia miſit. Quæ ille miratus, eadem, quâ anteà Epiſcopatum, animi magnitudine reſpuit. Verùm paullò pòſt Pontificis in conſpectum progreſſus, cùm adhuc eiuſmodi abs ſe honorem auerteret, ſacri tamen anathematis intentatione commotus aſſenſit. Atque ita Idibus Iunijs Preſbyter tituli S. Crucis in Hieruſalem eſt vocatus. Quem titulum adeò gratum habuit, vt poſtea pro inſigni gentilitio ipſam ſolam Crucis effigiem tulerit. Cuius rei cùm plurima adhuc in Epiſcopio apparent veſtigia, tum Franciſcus Philelphus eſt auctor, in epiſtolis inquiens; *mitatus es cum, cuius crucem pro ſigno geris, Chriſtum Optimum Maximũ.* Quem deinde Tho-

b *In Maio fuiſſe creatũ etiam Blondus teſtatur dec. 3. libr. 3. At Onuphri° & Ciaconius habent 9. Kal Iul ann. 1426.*

de Thomas ipsius discipulus imitatus, vbi ad Pontificatum peruenit, claues c ipsas pro Familiæ signo asciuit. Cæterùm NICOLAVS sic honorem hũc gessit, vt S. Antonino teste, d *quemadmodum Episcoporum insigne exemplar extiterat, sic clarissimum speculum Cardinalium fuerit*; Nec maiorem dignitatis splendorem ab sacræ nitore purpuræ cœperit, quàm ipse claritate virtutis suæ ei tradiderit.

Neque verò Martinus hoc illum ornamento cohonestasse satis habuit, quin etiam insigne ac magnificũ inprimis legationis munus adiunxit. Huius verò decernendæ legationis hęc materia data; Philippus Mediolani Dux, iam pridẽ animo ad Italiæ dominationem aspirans, bellum Florentinis internecinum intulerat, & cum Martino ipsa huius belli consilia sociârat. Quare cõpulsi Florẽtini, sese Venetis suspectas iam pridem Ducis ipsius opes habẽtibus iũxerant, ac maximo exercitu cõgregato, Philippi ditionem adorti, Bergomum ei ac Brixiam e magnâ cum Castrorum Cremonensiũ parte ademerant. Itaq; Martinus, Philippo socio in maximas rerũ suarũ difficultates adducto, cõsulere, atq; imminentia Italiæ mala propulsare desiderans, pacem inter eos cõciliare constituit, ac propterea ad eam tractandã ac transigendam NICOLAVM Cardinalẽ spectatæ multis in rebus auctoritatis ac sapientiæ virum decreuit. Quare NICOLAVS cum his mandatis Româ profectus, XV. Kal. Octob. Bononiam adijt, à Magistratibus & vniuersâ occurrente ac gratulãte ciuitate receptus, atq; omnibus honoribus, qui Episcopo & Cardinali Legato à Latere Põtificis misso debẽtur, affectus, mox oratoribus eorũ, ad quos bellũ pertinebat, cũ mandatis conuenire Ferrariam iussis, ipse eo quoq; 13. Kal. adiuit, vbi summam Nicolai f Marchionis erga se humanitatem atque hospitalitatem expert⁹, vtriusq; partis Procuratoribus euocatis, ei cognitioni operã dare singulari animi æquitate instituit. Caussa verò vtriusq; magno animorum ardore, ac partium cõtentione tractata, & varijs iniectis postulatis, querelisque distracta, cùm pax ad optatum perduci exitum haud posset, nisi ipse cum Principibus in colloquium congressumq; veniret, primò Venetias, deinde Mediolanum accessit; Venetias autem profectus, ac summis honoribus à Senatu illo ornatus, sic cum Francisco g Foscaro Duce caussam egit, vt Senatus retentis vrbibus atque oppidis bello partis, se pacem compositurũ

c *Ita patet in Platina nouiter excuso Coloniæ.*

d *In Chron. p. 3 tit. 22. c. 7. §. 3.*

e *Blondus dec. 3. libr. 3.*

f *Hic fuit Nicolaus Estẽsis, de quo Philelphus, & Syluius in Europa, c. 52.*

g *Lege Ant. Sabellicum de Venetorũ rebus. Item Volaterãn.*

eſſe promiſerit. Pridie inde Kal. Octobris (litteris ab eo de tuto per Lombardiam itinere ſumptis, (quæ adhuc apud Albergatos legũtur) Mediolanum ad Philippum deceſſit, atque hominem allocutus (licèt grauiſſimè de Venetorum auaritiâ & Florentinorum ſuperbia conquerentem) ad Bergomum & Brixiam dimittendam adduxit. Quare ſequenti anno Bergamo profectus, ad Venetos in poſſeſſione cæterorum locorum conſtituendos procedens, Brixiam adijt. Eam verò vrbem, ramum oliuæ præferens, inijt, ab Epiſcopo, Clero, & Magiſtratibus vniuerſis exceptus: qui vſque ad riuum Mellam cum crucibus & vexillis, gratias Deo ſolemnibus hymnis concinendis agentes, obuiam prodierunt. Cùm autem in agrum inde Brixianum exiſſet, vt caſtra ipſa vrbi appoſita, quæ à Philippi cuſtodibus tenebantur, Venetis Magiſtratibus præſentibus ex pacto tradi iuberet: omnes præcluſis portis inuenit, aſſerentes, ſe neque Venetos, neque eorum amicos intra oppida recepturos. Quod ex tacito Philippi *h* mandato factum, occulta aliqua bene gerendæ rei ſpe oblata erecti, putatum eſt. Quod vt NICOLAVS vidit, vehementer permotus, reuerti ad Philippum voluit; ſed Venetorum Pręfecti prohibuerunt, qui rem non verbis, ſed armis decernendam eſſe dixerunt, atque ad ſingula, quæ reſiſtebant oppida, deinceps Senatus auctoritate exercitum adduxerunt. Ita NICOLAVS re irrita VI. Idus Febr. Bononiam redijt.

h Philippi ingeniũ depingit Syluius in Europa, ca. 49.

Inde VI. Kal. Martias Romam ad reddendam impeditæ legationis rationem progreſſus, ibi quatuor menſes peregit; per quos Veneti omnia Brixiana caſtra, Philippo fruſtra reſiſtenti, eripuerunt. Quod vt ipſe audiuit, XVIII. Kal. Septembris Bononiam ſe eo conſilio retulit, vt verba iterum de pace inferret, ac Cremonenſia oppida ad Ollium ſpectantia, quæ à Venetis poſtulata adhuc controuerſiam faciebant, reſtituenda curaret. Itaque poſt triduum Mediolanum ad Philippum reuertit, dum iterum Ferrariæ ad audiendas partes conſedit, remque cognitam maiori ex parte ſequenti anno XV. Kal. Maij conſtituit, ac mox pridie Nonarum pacem factam, maxima cum populorum *i* lætitia publicauit. Inde Idibus ſeſe Bononiam retulit, atque in loco extra vrbem ſemoto, ad ſanctam Mariam Vallis viridis ſedit, vt commodius componere reliquum controuerſiæ poſſet. Ita XV. Kalen. Iunij, exercitibus

i S. Antonin. in Chron. p. 3. t. 22. c. 8. §. 11. ait pacem in Martio factam, ann 1427.

vtrinque dimiſſis, miſeræ ciuitates aliquando tandem à diuturnis belli calamitatibus reſpirarunt.

CAPVT XI.

A SEDITIOSIS CIVIBVS BONONIAE INDIGNE tractatur, ideoq́. ad Pontificem Romanum ſe confert.

INTERIM NICOLAVS audiens gladios paſſim impunè à ciuibus in vrbe geſtari, ac quodammodo ciuili tumultui a perniciosum aditum aperiri: vicem ciuitatis ſuæ ſolicitus, Kal. Aug. in vrbem ſe ſummo mane recepit, ac rei diuinę opera data, opportunam opem diuini Numinis implorauit. Hora inde ſequētis noctis ſecunda, Canetuli Eccleſiæ aduerſarij, iam pridem in patriam reſtituti, cum factione ſua armati ſeſe in forum proripuerunt; eoq́ue occupato, ad terrorem aduerſariorum, ignem in quaſdam tabernas ligneas iniecerunt, & Palatium cum Legato capere contenderunt. Qua re percepta, Bentiuoli ſigno campanæ regionis ſuæ dato, continuò ſe cum parte Pontificia compararunt, atque in forum procurſare aduerſus Canetulos inſtituerunt. Quod vt NICOLAVS accepit, imminēti ſeditioni, ac cruento certamini occurrere, & ſtatum ſeruare Eccleſiaſticum properans, ſeſe illis obuiam ad ædem S. Donati tulit, atque eos orare pro ſalute patriæ, & liberorum ſuorū incolumitate inſtituit, vt pauliſper conceptum animi impetum inhiberēt, nec noui quicquam vſq; ad reditū ad illos ſuum tentarent. Nam ſe Canetulos ad ponenda arma, & ſaniora capienda conſilia deducturum. Inde in forum progreſſus, b Baptiſtam Canetulum, factionis Principem ſeuocauit; ac multis verbis factis, demum rem ita cum eo compoſuit, vt Antianos crearet, & publicis quibuſdam vectigalibus eos ad ſumptus neceſſarios ſuſtinendos inſtrueret. Pontifex autem centum equites, totidemq́ue pedites conductos haberet, qui Legato Sacramentum dicerent. Officia verò vrbana ac caſtrenſia ciuibus ipſis paterent, atque in has conditiones Baptiſta, & ſocij ſe ab armis diſceſſuros, neque aliud in vrbe molituros, fide interpoſitâ promiſerunt. Inde ad Palatium adijt, vt hæc pacta confirmari Legati ipſius ſubſcriptione cu-

a Vide Zenū c. 12. & Blōdum libr. 3. dec. 3.

b De hoc Syluius in Europa c. 53.

raret; atq; ad fores progressus, ipsas sibi ac suis aperiri à custodibus iussit. Quas patentes vt attenti Canetuli cognouerunt, repentè in eas fide violatâ impressionem fecerũt, ac stationibus in cassum obnitentibus superatis, ipsam ianuam occuparunt. Comites autem NICOLAI, cùm periculum, indignitatemque viderent, ipsum exãguem, ac propè in illa turba elisum à foribus retraxerunt, ac domũ (ne occideretur ab infestis capiti eius Canetulensibus) reduxerunt. Interim Palatium ab illis captum, & fœdè direptum, & Legatus *c* in custodiam datus est. Quæ vt Bentiuoli acceperunt, haud vltra sibi conandum rati, portâ S. Donati vrbe se præcipites effuderunt.

c Gabriel Condulmerius, postea Eugenius 4

Nonis inde Aug. Magistratus, quibus Respublica fuerat cõmissa, pro certo habentes Martinum irâ accensum, vrbem armis oppugnaturum, atque hanc iniuriam vi quacunque persecuturum: Centum & Plebem castella sibi eo bello accommodata futura putantes, NICOLAVM ad se venire iusserunt, eo nimirum consilio, vt ab eo castra illa repeterent, & si abnueret, potestatem hominis nacti, præbere compellerent. At ille edicti superbiâ, atq; euidenti rei indignitate *d* permotus, quâ Episcopalis & Cardinalitia dignitas in ordinẽ cogebatur, se iturum negauit, ac mox insidias eo nomine sibi parari sentiens, sub noctem *e* assumpto fratris Prędicatorij ordinis habitu vno cum comite ad Monasterium S. Dominici adijt, ac postea vt his se fluctibus eriperet, summo mane per portã S. Mamæ vrbe excessit, atque ad Carthusiam, & inde Mutinam abijt. Inde X. Kal. Sept. legatus, qui apud Canetulos seruabatur, vrbe dimissus, 4. autem Id. Sept. familia Episcopi Episcopio pulsa; postridie verò consilio aduocato, ac multis verbis in Episcopum & Pontificem, pro cuiusq; ingenio ac libertate grauissimè dictis, decretum est, vt in locò NICOLAI alius Episcopus ederetur, ac statim *f* Bartholomæus Zambeccarius, Caroli filius, Abbas S. Bartoli Ferrariensis, est nominatus. Qui professus se Centũ & Plebem populo traditurum, cõtinuò ad Episcopium, nullo comitante Canonico, sed solis Magistratibus prosequentibus, adijt. Inde Canonicis, vt eũ de more eligerent, imperatum. Quibus se eligere posse negantibus, qui à populo fuisset electus; respõdit Vexillifer, populi nominationem esse; Canonicorum verò electionem; cuius rei cùm Canonici ad Iurisconsultos iudicium retulissent, illi responderunt,

d Copiosè hæc Zenus c. 12.

e De Monachali habitu meminit etiam Blondus li 3 dec. 3 & Zenus ca. 13. de Carthusiano.

f Sigon. li. 4. de Episc. Bonon.

non

non vacante Episcopi sede, Canonicos electionem celebrare non posse. Veruntamen Bartholomæus se pro Episcopo gessit, & Vicario constituto, ius per annum integrum dixit.

CAPVT XII.

RESTITVTVS A ROMANO PONTIFICE IN SVAM sedem, iterum ablegatur in Franciam, pro pace vrgenda.

QVibus rebus cognitis, Martinus vehementius inflammatus VI. Kal. Sept. edictum promulgauit: in quo grauissimas *a* detestationes in Canetulēses, & sacrorum interdictum in ciuitatem explicauit: quod Legatum suum, & ipsum vrbis Episcopū & Cardinalem, turpiter in sui contumeliam exegissent, his verbis: *Nam dilectum filium nostrum NICOLAVM, tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem, perpetuum administratorem Bononiensis Ecclesiæ, auctoritate Apostolicâ deputatum, suum conciuem, & patrem animarum suarum, taliter pertractarunt, contra omne debitum charitatis in proximum, & reuerentiam tanti Patris, quòd præfatus Dominus NICOLAVS Cardinalis coactus est clandestinè, & tanquam incognitus excedere ciuitate, & diœcesi supradictis; neq. eo modo, quo decebat Cardinalem incedere, sed mutato habitu (quia aliter inde recedere nullatenus permisissent) eundem libertate priuarunt, in dedecus & opprobrium nostrum, & Apostolicæ Sedis vilipendium & contemptum.* Deinde Duces cum militaribus copijs suis Bononienses inuadere iussit; qui direpto agro ad vrbem progressi, acrius oppugnare ex diuersis partibus institerunt, vnde bellum varijs detrimentis inferendis, in proximum est annum protractum. Quibus demum Canetulenses impulsi, Oratores XV. Kal. Iulias Immolam destinarunt, vt cum *b* Lucido Cardinali Ostiensi, Legato, & NICOLAO Episcopo ibi posito, de compositione tractarent: qui profecti, nihil æqui obtinuerunt. Inde III. Kalend. Septembris iterum missi, pacem commodis sanè conditionibus retulerunt; in quibus illud præcipuè continebatur, vt Bartholomæus Episcopatum NICOLAO dimitteret; Pontifex verò Abbatiam sancti Bartoli Bartholomæo ademptam reddi à Marchione curaret. Ita VII. Kalend. Octobris, Legatus in vrbem ingressus, postridie Magistratus

a Blondus loco cit.

b Hic Lucidus de Comite Diac Card. S. Mariæ de Cosmedin, obijt Bononiæ, an. 1437. Ita Onuphrius.

ipſos apud ſe fidelitatis Sacramentum concipere iuſſit, ac NICOLAVM ſuæ ſedi reſtituit. Poſtero verò anno, cùm exiguas ſe aduerſus florentes Canetulos opes ad retinendam dignitatem habere videret, vrbe egreſſus, Centum abijt, ac Baptiſtam moderatorem vrbis, vt moliebatur, reliquit. Qua re accepta, Martinus accenſus, conceptum iam pridem animo virus euomuit, ac Nuncio VI. Nonas Iulias in vrbem miſſo, integrum ſine vlla exceptione vrbis imperium poſtulauit; ni darent, ſe bello interneciuo perſecuturum demonſtrauit. Cui populus reſpondit, ſe pactas paullò antè cum eo conditiones cuſtodire paratum eſſe, neque de eis quicquam demere velle. Ita bellum multò quàm antè acrius renouatum.

Interim gliſcente inter nouos Reges, Carolum c & Henricum Franciæ, Angliæque certamine, Martinus experiri omnino ſtudens, ſi qua æquitate rem ad otium deducere poſſet, NICOLAVM Legatum ad eam rem in Franciam deſtinauit, ac pòſt ad cumulãdam auctoritatem nouo hoc priuilegio inſigniuit, V. Kalend. Decembris: *Cùm te ad pacificandum regnum Franciæ commiſſo tibi plenæ legationis officio, vt pacis Angelum deſtinemus, nos volentes tibi ea concedere, per quæ animarum ſaluti valeas prouidere, circumſpectioni tuæ omnes & ſingulas perſonas, tam Eccleſiaſticas quàm Seculares, quæ à Catholicæ fidei, & S. Matris Eccleſiæ documentis deuiantes, in hæreſin* d *quomodolibet collapſæ fuerint, poſtquam ad veram & Catholicã fidem redierint, & errores ſuos abiurauerint, & reconciliandi, & diſpenſandi tenore præſentium plenam, & liberam concedimus facultatem.* Inde litteras has ad Henricum Regem Angliæ, II. Kalen. Ian. ſcripſit, orans, vt ſe exorabilem ad rem conſtituendam præberet. *Ad pacem procurandam dilectum filium noſtrum NICOLAVM tituli S. Crucis in Hieruſalem Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ ſedis Legatum, tanquam pacis Angelum deſtinamus; ſperantes in Domino, quòd ipſius profectio, & ipſi Deo erit accepta, & hominibus ſalutaris. Tuam verò clementiam exhortamur, & cum paternâ charitate rogamus, vt abolitâ omni memoriâ iniuriarum, & extinctis incendijs odiorum, & omni aliâ affectione depoſitâ, Cardinali te exorabilem præbeas & placatum.*

c Fuit Carolus VII. R. Franc & Henricus VI. R. Angl. Vide Æmylium, & Polydorum.

d Serpſit eo tempore hæreſis Hußitarum, de qua Prateolus.

CAPVT XIII.

POST VARIOS LABORES ITINERAQVE, VENIT tandem ad Concilium Basileense, & litteras accipit à Francisco Philelpho.

QVin etiam bellum terminare Bononiense cupiens, ad eundẽ mandatum rerum cum populo Bononiensi componendarũ plenissimum misit. Ille verò rebus omnibus ad iter paratis, sequẽti anno pridie Non. Febr. Ferrariam adijt, ac mandatum, quod habebat, cum Marchione *a* communicauit. Marchio verò Bononiensibus indicauit, NICOLAVM apud se esse, ac liberum pacis componendæ à Pontifice mandatum habere; eo ipsum vsurum, si aures verbis de compositione vellent adhibere; & si integrum vrbis imperium tradere Pontifici in animum inducerent, facultatem paciscendi vberrimam attulisse; cui ipsi rescripserunt, oblatas conditiones non recusare; verùm idoneos sponsores, ac fideiussores ad res tantas desiderare. Quare inani incœpto NICOLAVS Venetias abijt, atque inde in Galliam ire perrexit. Interim Martinus misso Iuliano Cæsarino Cardinale Legato, Cõcilium *b* Basileæ instituit, ad Hussitarum heresim profligandam, Ecclesiamq; constitendam; prout Concilium Constantiense faciendum esse decreuerat; atq; hoc facto, X Kalendas Martij obijt; cui statim Eugenius *c* IV. (qui fuerat Gabriel Condulmerius Cardinalis) successit. Hic & Concilium continuandum decreuit, & pace commodis conditionibus Bononiensibus redditâ, vrbem recepit, & NICOLAO, quem item omnium plurimi æstimauit, munus pacificandæ Franciæ confirmauit.

NICOLAVS autem primùm immaturâ Martini morte deterritus, seriùs aliquantò rem est aggressus; deinde causam omnium opinione impeditiorem est nactus. Neq; enim Principes, (presertim Regem Anglię) ad locum edendum, quò Oratores rei discutiendę gratiâ mitterent, impellere potuit: quamuis in eam curam toto pectore incubuerit, ac neq; laboribus, neq; periculis, neq; sumptibus vllis rei obtinendæ caussâ pepercerit; quod ipsemet Carolus *d* post in epistola ad Basileense Cõcilium confirmauit: *Cùm superiore*

a Hic fuit Nicolaus Estensis, multum laudat⁹ à Philelpho, Syluio, & Volateran.

b Vide Nauclerum gen 48. an. 1430.

c Electus est ann. 1431. 5. Non Mart. ita Onuphr

d Vide Sur. Tom. 4. Cõcil. pag. 340. edit prioris.

tempore, inquit, piâ atque deuotâ supplicatione carißimi ac dilecti amici nostri Cardinalis S. Crucis res ipsa non modicâ disceptatione varijs aßignationibus agitata fuerit; quanquam labori, periculis, atque expensis minimè ipse pepercerit, tamen ad optatū portum non peruenit. Quare cùm multis transactis mēsibus nihil profecisset, Eugenius re cognitâ, non maiore admiratione, quàm labore accensus, sic pòst, Idibus Maij ad eum *e* scripsit: *Miramur & dolemus, quòd cùm circumspectio tua, ex commißione nostrâ, pacem regni Franciæ tanto studio ac diligentiâ, tantoq; personæ tuæ incommodo & labore procurarit, & procuret, non fuerit adhuc inter illos principes, quorum neceßarius est consensus, concordatum de loco, in quo Oratores partium, pro pace tractandâ apud te debeant conuenire. Commendandus est autem multum Philippus Dux Burgundiæ, qui paratus est obsequi voluntati meæ, cui super hoc scribimus; atque item carißimo in Christo filio nostro Carolo Francorum Regi illustri, hortantes eum ad pacem, ne ex leui discrepantiâ relinquatur practica tanti boni; pro cuius consecutione, non grauetur tua singularis bonitas laborare, donec perfeceris, vel saltem manifestè cognoris, per manus hominum non posse concludi. Nam si tu non feceris auctoritate nostrâ, & Ecclesiæ, & prudentiâ ac diligentiâ tua, non videmus, per quem hominem fieri poßit.*

e *Sigonius hanc epistolam ex archiuis Albergatorum accepisse videtur.*

NICOLAVS verò, vbi se ad æquitatem adducere Regem Angliæ variè tergiuersantem non posse perspexit, inde ex Pōtificis auctoritate discessit; ac quemadmodum prudentes medici, quos ægros salutaria remedia recusantes, ac diligētiæ suæ reluctantes aspiciūt, tanquam deploratos extremâ Dei ope sanandos relinquunt, officio satisfecisse suo putantes, vbi industriam fidemque suam adhibuerint; sic ipse, postquam accensâ se principum inexpiabilibus offensionibus odia extinguere dicēdo non posse animaduertit, eorum leniendorum curam Deo, ipsi humanarum infirmitatum vnico curatori permisit. Cùm autem ex itinere Basileam *f* progressus, audisset Patres in Concilio conuocatos, nouo exemplo constituisse; Pontificem Concilij dimittendi iure carere, verùm tāquam ipsius Concilij decretis obnoxium, dicto illius audientem esse oportere; aliaque multa ad sacrosanctam illam potestatem debilitandam insidiosè parare; vehementius (vt S. Antoninus *g* scripsit) homo antiquæ probitatis exarsit, ac grauiter Concilium, factum-

f *Nauclerus gen. 48 Poggius in orat. fun. Zenus c. 16.*

g *In Chron p. 3 t 22. c 10. §. 4.*

que eius increpuit, & vt in auctoritate Summi Pontificis ipsius Christi vicarij permaneret, admonuit; atque inde Bononiam ad Ecclesiam suam reuisendam accessit.

Quo facto, statim ad Franciscum Philelphum litteras misit, statum eius cupiens cognoscere; & si tempora poscerent, aliquo insigni beneficio sublevare; quem morem ille ab initio Episcopatûs instituerat, neque postea aliquo fortunarum suarum interueniente naufragio destituerat. Hic vir eruditissimus, ac, (prout illa ferebant tempora, quibus nondum exculta ac perpolita adeò dicendi ratio fuerat) disertissimus Florētiæ inter sæuos fluctus discordiarum ciuilium versabatur, ac de sua incolumitate, in magna æmulorum inuidia laborare compellebatur; & propterea litteris eis acceptis exhilaratus, ita respondit; vt NICOLAO se totum tanquam amplissimo litteratorum omnium Patrono commiserit; sic enim scripsit: *Thomas* h *Sarzanēsis, vir perhumanus & eruditus, Amplitudinis tuæ Secretarius, Pater clementissime, tuo nomine litteras ad me dedit; quibus, quod mihi erat sole (vt aiunt) clarius, non amicè minus, quàm eloquenter ostendit, quanta sit tua erga me caritas, monuit, vt tibi significarem, quàm me Florentia delectet; præterea si qua in re tua opera opeq. vti velim, scriptorio calamo ne parcam; te enim semper paratum fore, vt mihi benefacias. Vt ago tibi & habeo immortales gratias, Pater humanissime, quòd ex qua die primū me Bononiæ vidisti, ac tuam in clientelam accepisti, te mihi Patronum semper, te Patrem, te beneficum præstiteris: Et id quidem nullis meis de te meritis, sed sola tua mansuetudine, atq. benignitate. Imitatus tu sanè eum, cuius crucem pro signo geris, Christum Optimum Maximum, qui vt cunctis mortalibus benefaceret, sibi ipsi non pepercit, &c.* Exponit inde lubricum rerum suarum statum, atque ad extremum infert; *Quæ cùm ita sint, clementiam tuam rogo etiam atq. etiam, oroq., vt huic meo desiderio consulas; quidquid ipse de me statueris, indubitatò persequar; operamq. dabo, vt tua de me opinio te nunquam fallat; nam neq. fidei vnquam deero, neq. industriæ, neq. diligentiæ.*

Ex Florentia X. Kal. Oct. Anno natali Christiano M. CD. XXXII.

h *Literas istas suo loco integras dedi.*

CAPVT XIV.

CVRAT CIRCVMFERRI IMAGINEM B. V. MAriæ, ac deinde non absq; fructu iterum interest Concilio Basileensi.

INterim verò dum NICOLAVS officio vigilantis ac pij Pastoris in Ecclesia sua capessenda fungitur, occasionem adeptus est rei præclaræ, atq; ad memoriam posteritatis insignis instituendę. Proximo quippe anno, cùm assiduæ ac vehementes pluuiæ, *a* ac tetræ & immoderatæ tempestates maximā curam omnibus iniecissent, ne, vt sæpè contigerat, segetes iam maturescentes extinguerēt: cæteris frustra imploratis auxilijs, ipse vnà cum Antianis decreuit, vt imago ex ore Deiparæ Virginis, manu S. Lucæ expressa (quæ ante complures annos Constātinopoli *b* allata, in æde S. Mariæ montis Guardiæ seruabatur) intra mœnia deferretur, atq; illa religiosè in pompâ perlatâ, supplicatio de more adhibitis sacris ac prophanis ordinibus ageretur. Eâ curâ deuotis Hospitalis S. Marię mortis mādatâ, ipsi IV. Nonas Iulias imaginem deportarunt, atq; in æde Virginum S. Matthiæ collocauerunt; quæ ipsam in monte Guardia conseruabant. Postero verò die, tertio & quarto, Episcopus inde sumptam, in pompa ferri, atq; ab omnibus ad tria templa solēnes Deo preces adhiberi præcepit. Quo facto, lux statim optatæ serenitatis adfulsit. Quare imago ex decreto publico religione ciuiū aucta, ad montem relata, ac custodiri diligentius ac sanctius cœpta, in vrbem quotannis in hunc vsque diem *c* defertur.

Eodem anno Eugenius Pontifex, comperto Basileensis Concilij Episcopos nihil aliud moliri, quàm vt potestatem Pontificiam aut prorsus euerterent, aut certè vinculis arctissimis alligarent: tū alia remedia temerarijs illorum cœptis admouit, tum Legatos nouos veteribus addidit, qui lubrica ac periculosa illorum consilia interpellarent, atq; acriùs pro Pontificia dignitate pugnarent. Inter cæteros autem, (quorum prudentiâ, fide, ac virtute rem Ecclesiæ aut lapsam restitui, aut labentem sustineri posse putauit) NICOLAVS ipse *d* principatum obtinuit. Itaq; XVIII. Kalen. Ianuarias, litteras ad eum *e* dedit, quibus plenissimam ei potestatem omnia

a *Latius de ais Sigonius lib. 4. de Ep. Bonon.*

b *De hac imagine scripsit historiā Ascanius Persius, quā hic circa finē totam reperies.*

c *Quod etiā num fit magna populi religione.*

d *Vide Zenum c. 16.*

e *Extāt aliæ literæ Eugenij in Conc. Basil. apud Surium To. 4. pag. 317. & seqq.*

suo

suo nomine, pro fide ac iudicio suo constituendi concessit: quæ i-pse ad salutem ac dignitatem Ecclesiæ pertinere putaret. Profectus autem NICOLAVS nullum officium, vel pietatis, vel prudentiæ prætermisit, quo vel imposita Ecclesiæ vulnera accuratè sanaret, vel imponendis maturè obuiam iret. Verùm exulceratos aduersus sedem Apostolicam Patrum illorum animos nactus, infesta eorum tela omnia propulsare non potuit. Cuius rei argumento illa sunt, quæ illi egerunt; Etenim sequēti anno, sessione f XVII. ipsum quidem vt Legatum Pontificis admiserunt, verùm ita, vt neque ipsos inuitos ad agendum vrgere, neque rationem agendi eatenus obseruatam inuertere posset.

f Vide Suriū Tom. 4 Cōc. pag. 52. anno 1434.

Inde 5. Idus Maij eidem quædam Pontificis nomine postulanti, maiore, quàm decuit, libertate negarūt; ac postremò, vt ipsum hominem prouidentiorem, atque acriorem à Concilio remouerēt, atque Eugenij dolorem multò magis accenderent, ipsum cum Petro Cardinale S. Petri ad vincula, VIII. Kal. Aug. Legatum ad Eugenium, ac alios Principes Italiæ pacificandos, & bona Ecclesiæ occupata recuperanda destinauerunt. Huius legationis neque in actis, neque alibi g vspiam mentio reperitur; verùm inter ipsius Cardinalis scripta, familiæ Albergatorum relicta, certa monumenta seruantur, quæ hoc loco referre opportunissimum visum est: *Sacrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitimè congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, dilectis Ecclesiæ filijs NICOLAO tituli S. Crucis in Hierusalem, & Ioanni* h *S. Petri ad vincula, S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, nostris & Vniuersalis Ecclesiæ Legatis salutem, & omnipotentis Dei benedictionem. Ad tria maximè sancta opera, extirpationem videlicet hæresum, reformationem morum, ac pacem inter cunctos Christicolas auctore Domino procurandam, hic in Spiritu sancto legitimè congregati, circa ea, per quæ ipsius veræ pacis & perfectæ quietis desideranda tranquillitas, in singulas orbis partes, Deo propitio, subsequi valeat, libenter extendimus vigilantiæ nostræ curas. Proinde leuantes in circuitu nostros oculos, & considerantes, de quo ab intimis præcordijs anxiamur, quot discordiarum fomenta, guerrarum turbines, calamitates & strepitus diuersas Italiæ partes hactenus, (proh dolor) lachrymabiliter concusserint, adeò vt nisi celeriter occurratur, penè totam ipsam Italiam bellis & discordijs innumeris inpræ-*

g Meminit etiam huius Zenus c. 17.

h Hic fuit Ioānes Ceruantes Hispanus, qui obijt anno 1450. iuxta Onuphrium.

 sen-

sentiarum undique flagrare, & ebullire videamus: ut autem tantarum guerrarum debacchans furor supprimi, & iam præparatum extingui valeat incendium, hodieq; vigentes guerræ conticescant, ac singula in ipsâ Italiâ discordiarum fomenta, ne deterius inde contingat, Omnipotenti Deo cœlitus inspirante, in bonum salutaris concordiæ & firmioris unitatis feliciter commutentur, de vestræ circumspectionis industria (quam potentem opere pariter, & sermone in magnis expertam & arduis, eximiâ probitate, fidelitate, magnitudine consilij, morũ elegantiâ, scientiæ claritate & alijs grãdium virtutum titulis, earum largitor Dominus multifariam insigniuit) sumentes fiduciam specialẽ, quod ea, quæ vobis duxerimus committenda, exactissimâ ac peruigili operâ curabitis adimplere, vos, & quemlibet vestrûm in solidum, tanquam pacis angelos, nomine uniuersalis Ecclesiæ & nostro, ad partes Italiæ Deo propitio duximus destinandos, & destinamus vestrâ diligentiâ, & solerti indefessaq; operâ, tam apud sanctissimum Dominum Eugenium Papam Quartum, g quàm inter quoscunq; Italiæ Principes, dominia, communitates, prouincias, ciuitates, terras, & loca, gentiumque armigerarum Capitaneos, ut discordiæ, differẽtiæ, dissensiones, atq; guerræ de præsenti vigentes, & quæ quodammodo in futurum suboriri contigerit, de medio tollantur, & penitus extinguantur; indubitanter tenentes, quod inspirante Regum Rege pacifico, Italiam ipsam ex quotidianis penè guerrarum strepitibus ad metam salutaris concordiæ, & pretiosum pacis thesaurum reducetis. Rursus, cùm nonnullæ ciuitates, terræ, castra, & loca ad S. R. Ecclesiam spectantes, & spectantia, à quibusdam fuerint, & detineantur occupata, quarum recuperatio ad pacem, quietem, & bonum eiusdem Rom. Ecclesiæ pertinere dignoscitur, cũ omni solerti cura ac diligentia, per quoscunque modos possibiles, & magis accommodos elaborabitis hæc loca huiusmodi ad obediẽtiam, & subiectionem ipsius S. R. Ecclesiæ, & dicti D. Eugenij Papæ, ac sacri Collegij Cardinalium, redintegrare, & reducere, ipsaq; regere, protegere, ac gubernare, &c. ad extremum; Nos enim sententias, quas vos, aut alter vestrûm ritè tuleritis, & pœnas, quas inflixeritis in rebelles, nec non cætera, quæcumq; vos, vel alter vestrûm in præmissis, & circa præmissa feceritis, ratas & rata habebimus, & faciemus autore Domino, usq; ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum Basileæ, 8. Idus Aug. anno Natiuitatis M. CD. XXXIV.

g Aliæ literæ à Concilio Basil. ad eosdem sunt to. 4 Conciliorum apud Surium, pag. 163.

CAPVT

CAPVT XV.

MITTITVR A CONCILIO BASILEENSI AD Eugenium R.P. & ab ipso Pontifice in Franciam tertiò ablegatur.

HOc verò negotium NICOLAVS inuitus quidem suscepit, sed refragari præcipiti tot Patrum, Ecclesiam vniuersalem (vti asserebant) repræsentantium studio, vel potiùs cupiditati, non nisi maiore cum rerum detrimento se posse putauit. Itaque ad Eugenium (qui Florentiam à Columnensibus Româ pulsus, IX. Kal. Iul. venerat) ilicò adijt, & cum eo accuratiùs de re vniuersa deliberauit. Dum aũt ibi esset, iterum Patres litteras ad eum scripserunt, *Sacri Concilij, & Vniuersalis Ecclesiæ Legatum* appellantes: quibus Procuratorem ei Prosperi Columnæ Cardinalis, *a* capitalis Eugenij inimici & hostis, commendauerunt, vt ipsius ope Ecclesiastica quædam ab Eugenio beneficia obtineret. Quod factum Eugenius omnium indignissimè tulit. Itaque vt parem eisdem, à quibus prouocabatur, molestiam doloremque referret, NICOLAVM Basileam redire, ac Legatum actionibus eorum omnibus non solùm interesse, sed etiam accuratè præesse, &, quoad posset, sese (si à cto deflecterent) obijcere iussit.

a Vide Onuphrium & Platinam, quorum hic in Eugenio IV. causas inimicitiæ refert.

Inde postero anno III. Kalend. Martij litteras ad eum dedit, quæ quidem in actis intextæ *b* non leguntur, quibus nominatim potestatem subortæ de *c* Annatis, (vt vocabãt) controuersiæ, seu potius discordię sedandæ indulsit. Quod pręceptum cùm ille summa fide industriaque singulari curasset, Deus noui illi pro Christiana Rep. suscipiendi laboris patefecit occasionem: Placuit enim Eugenio, eundem iterum *d* in Galliam proficisci, ad pacem (quæ coalescere nondum potuerat) inter illos Principes sanciendam. Iniquo scilicet animo vir optimus audiebat, regionem illam Catholicæ pietati ab antiquo tempore deditissimam teterrimo ipsorum Principum odio deuastari, ac malesanis hominum consilijs vltima pernicie deformari. Itaque omnia sibi tentanda putans, si qua ratione posset tanto malo mederi, neminem ad id aptiorem esse constituit, quàm eum, qui bis eam

b In vno M. S. aberat (non.)

c Tractat de hisce Concil. Basil. sess. 21

d Cōsule Æmylium in Carolo VII. R. Francor.

rem

rem, caussamque summâ industriâ tractauisset. Itaque sic ad eum ornandæ illius, vt fit, potestatis gratiâ scripsit: *Dilecto filio NICOLAO tituli S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm te ad pacificandum regnum Franciæ, commisso tibi plenæ legationis officio, vt pacis Angelum destinemus: nos volentes illa tibi concedere, per quæ personis partium illarum te valeas reddere gratiosum, circumspectioni tuæ dispensandi, cum viginti quinq; personis Ecclesiasticis, (infra limites dicti regni, & partium adiacentium consistentibus, & defectum ætatis patientibus) de quibus circumspectioni tuæ videbitur, vt earum qualibet, postquam vicesimum secundum suæ ætatis annum peregerit, possit ad sacerdotium promoueri.* Inde VI. Nonas Maij Renatũ Ducẽ e Andegauensem hortatus est, vt NICOLAO ad pacem conficiendam adesset: *Ex singulari affectione*, inquit, *quam habemus ad bonum statum & quietem regni Franciæ, mittimus denuò pro illius pace procurandâ & componendâ dilectum filium nostrum NICOLAVM, tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem, Apostolicæ sedis Legatum, virum vtiq;, vt nosti, omni virtutum genere excellentem, qui eam materiam hactenus laudabiliter tractauit. Quoniam autem scimus zelum, quem tu quoq; habes ad dictam pacem, hortamur in Domino tuam excellentiam, vt ad hoc bonum pacis adhibeas consilium & operam tuam, assistendo eidem Legato, cõsilio, auxilio, & fauore, in quibuscunque rebus poteris, vt hæc sancta conclusio fieri possit.*

e *Hunc Gaguinus libr. 10 videtur vocare ducẽ Barrensem.*

Interim NICOLAVS eruditis aliquot viris in comitatum assumptis (inter quos præcipuè AEneas Syluius, f Picolomineus nominatur) in Franciam venit, ac rem insigni animi magnitudine aggressus, litteras ad ipsos Principes misit: placere sibi significans, vt quatuor inter se mensium inducias facerent, quò liberiùs ac tutiùs vltrò citroque à partibus commeari, ac disceptari de conditionibus ineundæ concordiæ posset; & vt ijdem Oratores cum plenis mandatis ad certam, quam significauit diem, Niuernum mitterent; nam se eò ad partes audiendas, & controuersias dirimendas, illâ die esse venturum. Quibus litteris Carolus Rex ex Ambosia g IV. Idus Iunias, Gallico (prout scriptum apud ALBERGATOS reperitur) sermone, in hunc maximè modum rescripsit: *Litteras vestras accepimus, quodq; præcipitis de inducijs quatuor mensium faciendis,*

f *Hic postea in Pont. Ro vocatus est Pius II.*

g *Est oppidũ Franciæ.*

dis, cognouimus; ſimulq́; diem, quo conuenire Oratores ab vtraque parte debeant, intelleximus; Quæ omnia ſummoperè approbamus. Itaq; litteras etiam fidei publicæ teſtes, pro ſecuritate partis aduerſariæ mittimus, & vrbem Niuernenſem ad conueniendum aptiſsimam iudicamus. Quibus rebus ita conſtitutis, inde conuẽtus Niuerni eſt actus; in quo, cùm varijs diſceptationibus habitis, ſpes haud leuis oblata eſſet, fore, vt res facilè conueniret, viſum eſt omnibus expedire, vt alter conuentus Kalendis Iulijs ad Atrebatum haberetur, ac rei ſtabiliendæ cauſsâ Legatos quoque eò ſuos Concilium Baſileenſe mitterẹ rogaretur. Eius verò rei curâ Carolus Rex ſibi aſſumptâ, ad Synodum ita ſcripſit: *Proximis* h *diebus nouiſsimè celebrata eſt in materia componendæ pacis cum Duce Burgundiæ apud ciuitatem Niuernenſem conuentio & ad eandem noſtrâ ex parte cum decenti ac ſufficienti poteſtate Ducem Borbonij, & Comitem Richemundum conſtabularium noſtrum, & fideles Conſiliarios noſtros Archiepiſcopum Rhemenſem, Cancellarium noſtrum, & Chriſtophorum de Haricuria conſanguineum noſtrum tranſmiſimus. Et cùm res ipſa poſt longam diſceptationẽ, optimam ad ea, quæ pacis ſunt, diſpoſitionem habuiſſet, cupientes omnes etiam partes, eodem & vnanimi conſenſu & fauore pacis & vnitatis præſtantiùs agere, in alterius diei & conuentionis apud ciuitatem noſtram Atrebatenſem, ad primam diem menſis Iulij proximè inſtantis concordarunt: conſentientes etiam, vt res tanta efficaciam habeat ampliorem & certiorem, vt pro parte Sanctiſsimi Patris noſtri, Cardinalis S. Crucis, & Arelatenſis, à ſacro Concilio Baſileenſi Cardinalis de Cypro, & S. Petri ad Vincula, ad ipſam aßignationem, & locum tranſmittantur. Quamobrem amicitiam veſtram oramus, vt ad diem illam præfatos Cardinales de Cypro, & S. Petri tranſmittere veſtri ex parte velitis.*

h *Literæ iſtæ pleniores ſunt in Conc. B. ſil apud Surium To. 4. pag. 340. col. 1.*

Kal. inde Iulijs ipſi pacis arbitri Atrebatum *i* conuenêre, NICOLAVS Cardinalis S. Crucis, & Cardinalis Cyprius, ſex ſtipati Epiſcopis; pro Carolo Dux Borbonij, Comes Richemundus Conneſtabilis, Archiepiſcopus Rhemẹnſis, & Chriſtophorus de Haricuria; pro Anglo Cardinalis Viceſtrenſis, & Archidiaconus Eboracenſis: pro Burgundione autem Cameracenſium & Atrebatenſiũ Antiſtites. Ibi cùm omnes ordine conſediſſent, NICOLAVS loqui exorſus, primùm commoda pacis, & belli detrimenta, & maximè

i *Prolixius hæc Gaguin. lib 10. & Polyd. lib 23. anno 1435.*

quæ ex præſenti diſcordia miſeræ Galliæ eſſent illata, cædes, incendia, vexationes, direptiones, vaſtitates, & reliqua eiuſmodi calamitatum genera, longâ atq; apparatâ oratione commemorauit: deinde quanto Eugenius Pontifex huius compoſitionis arderet deſiderio, ad quietem & trãquillitatem non ipſius ſolùm Galliæ, ſed totius etiam Chriſtianæ Reip. docuit. Atq; omnes ita ad firmam veramque concordiam contrahendam, remotis, quę adhuc morã intulerant controuerſijs, eſt cohortatus. Vbi verò perorauit, Legati Anglici dicere ſententiã iuſſi, ſeſe ad rem finiendam paratos eſſe aſſeruerũt, ac propterea Carolo, quidquid Rex ſuus in Francia vltra & citra Ligurim poſſideret, offerre, cum eo vt pro commodo vtriuſque partis, aliquorum inter ſe oppidorum commutatio fieret. Quam conditionem Franci libẽtibus animis accepêre, ac contrà Hẽrico, quidquid teneret Carolus in Ducatu Aquitaniæ, & totum Ducatum Normandiæ ſpopondere. Verùm hanc conditionẽ Angli ſuperbè repudiârunt, atque illicò è conuentu egreſſi, alia ſe die redituros dixerunt. Inde profectis illis, NICOLAVS interritus mentionem veteris inter Francum & Burgundum ſarciendæ gratiæ ſtudio intulit, atq; vtrumq; multis verbis ad ſuperiores terminandas controuerſias obſecrauit. Tum Nicolaus Raulinus Burgũdio, Principis ſui nomine diu meditatam orationem inſtituit, qua ea, quæ à Carolo rege Dux Burgũdus poſceret, enarrauit. Quæ omnia quanquã grauia admodum videbantur, tamen oratores Franci, nomine Regis ſui comprobauerunt. Illa verò imprimis erãt, vt Carolus confiteretur cædem Ioãnis Ducis iniquè patratam fuiſſe, ſpõderetq; ſe eam pro virili parte vlturũ, ac ſacra pro k ſalute eius, atq; eorum, qui cum eo, aut pro eo occiſi fuiſſent, quotannis fieri curaturum: & in loco, vbi ſepultus eſſet, ędem ac monaſterium cõditurum; vbi verò cecidiſſet, crucem lapideam excitaturũ, quę memoriã facinoris propagaret, eo ſumptu, qui NICOLAO Cardinali viſus fuiſſet. Multa etiam addita alia, quæ actis l Cõcilij Baſileenſis mãdata, hoc loco interponere viſum eſt alienum. Quibus acceptis Oratores partium ambarum in conſpectu Legatorum iurarunt ſe daturos operam, vt ea ſanctiſſimè cuſtodirent. Atq; ita pax per caduceatores, magnâ omnium populorũ gratulatione vulgata eſt. Quibus reb⁹ magna vtriuſq; partis voluptate peractis, NICOLAVS

k Paulus Æmylius in Carolo VII fol. 462. an. 435.

l Apud Surium Tom. 4 Concilio pa. 227. &c.

egregiè ab omnibus collaudatus, in Italiam ſe recepit, ac cranium *m* S. Annæ matris B. Virginis ab Henrico rege dono acceptũ, prid. Kal. Dec. Bononiam attulit, atq; ingenti ab vniuerſis honore acceptus, Monachis ſuis Carthuſienſibus dono dedit: qui ei oratoriũ S. Annæ in viâ S. Iſaiæ condiderunt: vbi nunc etiam aſſeruatur. Inde Non. Dec. ad Pontificem Florentiam *n* abijt, atque omnia à ſe acta renunciauit. Ex quibus Eugenius magnum fructum lætitiæ toto cum Cardinalium collegio cœpit.

m Etiam Marcodurẽſes habent partem de capite S. Annæ.

n Zenus cap. 17. aſſerit Eugenium tunc temporis Bononiæ reſediſſe.

CAPVT XVI.

QVANTAE FVERIT AVTHORITATIS IN CONCILIO Ferrarienſi, & Florentino, imò & Baſileenſi.

PRoximo inde *a* anno Eugenius liberum tandem Bononienſis vrbis imperium nactus, Florentiâ Bononiam venit, inter cæteros Cardinales ipſum etiam NICOLAVM habens in comitatu. Ibi cùm Baſileenſe Conciliũ, (ad quod iam pridem contumelię non honoris cauſa adeſſe à patribus iuſſus fuerat) abrogare, atq; vnà honoris aliquid amicæ ciuitati tribuere cuperet: Concilium alterum Bononiam in proximum *b* annum indixit; qui annus vbi venit, tum mutato iuſtis de cauſis conſilio XIV. Kal. Oct. nouo edicto propoſito, illud Ferrariam tranſtulit, cui edicto NICOLAVS *c* quoque ſubſcripſit.

a An. Dom. 1436.

b An. Dom. 1437.

c Tom. 4. Concil. Surij pag 325. col. 2.

Eo verò qui inſecutus eſt anno, *d* nuncio de Sigiſmundi Imperatoris morte accepto, iuſta ei de more in Baſilica S. Petronij ſoluit, ac mox VI. Kal. Febr. Ferrariam adijt, ac IV. Non. Ioannem Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum aduenientem excepit: quem poſt quatuor dies Ioſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus eſt conſecutus.

d An. 1438. Nam præcedenti ann. 9. Dec. obijt Sigiſmundus Imp. ita Onuphrius & Gordonus

Eo tẽpore; gliſcente indies magis manifeſto Eugenium inter ac Baſileẽſe Cõcilium diſſidio, cùm Cõcilium ſibi principatũ atq; authoritatẽ in Eccleſia ſupra Pontificẽ vendicaret, atq; omnia ad trahẽdos in ſuã ſententiã populos permiſceret: Eugeni⁹ in ſuſpicionẽ adductus, ne Germania ad partes cõtrarias inclinaret, aut certè ne aliquo modo ab autoritate ſua hac arrepta occaſione deſciſceret: nõ alienũ eſſe duxit, graui miſſa legatiõe Principes illos in fide atq; officio cõtinere; Mun⁹ aũt hui⁹ legationis ipſi quoq; Nic. *e* mãdauit

e Zenus cap 18 & P g gius in orat. fun t. ſtantur de hac legatione.

 qui

qui ad placandum vniuersum terrarum orbem Diuino destinatus consilio videbatur; ac mox potestatem omnes ad se Ecclesiasticos Principes euocandi, atque homines omnibus contractis peccatorum labibus expiandi cõcessit. Huius legationis nulla in actis Conciliorum est mentio; at litterę Pontificis apud ALBERGATOS conseruatæ testimonium locupletissimum perhibent, omnes 3. Idus Septembris Ferrariæ datæ: quarum vnæ huiusmodi sunt: *Dilecto filio NICOLAO tituli S. Crucis in Hierusalem Apostolicæ Sedis Legato salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm te ad partes Germaniæ, pro nonnullis bonum Ecclesiæ, pacem, & quietem populi Christiani concernentibus negotijs peragendis, commisso tibi plenæ legationis officio, vt pacis Angelum destinemus, & vtilitatem Ecclesiæ, & prosperitatem negotiorum magnam verisimiliter possis afferre, si partium illarum Prælati & Religiosi de tuo mandato insimul congregentur, circumspectioni tuæ Prælatos, ac Religiosos ordinum quoscunque, exemptos, & non exemptos, in partibus prædictis consistentes, quoties tibi expedire videbitur, ad locum congruum & aptum, ac tempus certum insimul auctoritate nostrâ conuocandi, & congregandi, eisq; ex parte nostrâ iniungendi, quæ ad exactionem negotiorum huiusmodi nostrumq; & Romanæ curiæ statum necessaria & vtilia fore perspexeris: alia quoque ordinandi & disponendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint & opportuna, plenam tenore præsentium concedimus facultatem. Datum Ferrariæ anno Incarnationis M. CD. XXXVIII. III. Idus Septembris.* Alteris verò permisit, vt is per se, vel alium idoneum presbyterum pœnitentiarium suum confessiones quarumcunque personarum audire, & auditis pro commissis debitam absolutionem afferre, & in casibus maiori Pœnitentiario reseruatis valeret. Inde alias ad Othonem & Stephanum, comites Palatinos *f* Rheni, Guidinum Ducem *g* Brunsuicensem, & Episcopum *h* VVormatiensem, omnes eodem exemplo scripsit his verbis: *Pro nonnullis negotijs honorem Dei, pacem Ecclesiæ, & bonum Reipubl. Christianæ concernentibus, dilectum filium nostrum NICOLAVM, tituli S. Crucis in Hierusalem presbyterum Cardinalem, Apost. sedis Legatum, ac venerabiles fratres Ioannem Tarentinũ Archiepiscopũ, Petrum Dignensem, ac Antonium Vrbinatem Episcopos, nec nõ dilectos filios Franciscũ de Capitibus Listæ I.V. Doctorẽ, & militem Ioann*

f Consule Marq. Freherum.
g De ducib⁹ Brunsvvicẽsibus agit Chronicon Chronicorũ, par. 3 p. 884.
h Hic fuit Episcopus LX Fridericus à Domnegk, qui obijt anno 1445. Ita constat ex Bruschio.

de Tur

de Turrecremata sacri Palatij magistrũ, & NICOLAVM de Cusa Decretorum Doctorem, Oratores nostros ad partes Germaniæ mittimus: quibus circa præmissa aliqua tibi nostrâ parte referenda commisimus. Quare præfatis Legato & Oratoribus, in præmissis nobilitati tuæ referẽdis, fidem plenam impertiri velis, illisq. in omnibus opportunis (cùm ab eis requisiti fueritis) assistere, sicut de deuotione tua in Domino confidimus, atq. speramus. His mandatis litterisq; NICOLAVS acceptis, non tamen in Germaniam (vt puto) processit: Siquidem primæ actioni, quæ post 8. Id. Oct. in Concilio Ferrariæ habita est, interfuit, inter sex Latinos Doctores relatus, qui cum totidẽ Græcis de Spiritus S. processione differerent, cùm Greci ipsum à Patre duntaxat, Latini à Patre, Flioq; procedere affirmarent. Græci fuêre Marcus Ephesius, Isidorus Ruthenus, Bessarion Nicænus, Theodorus Xanthopulus, Siluester Balsamon, Gregorius Gemistus: Latini verò ipse Nicolaus Cardinalis tituli S. Crucis, Iulianus Cæsarius Cardinalis tituli S. Sabinæ, Andreas Archiepiscopus Colossensis & Foroliuiẽsis Antistes, ac duo Monachi in Theologia præclari. Ex quo suboritur suspicio, ipsum aut Ferrariâ non exijsse, aut certè statim ab Eugenio ex itinere reuocatum se recepisse; neq; enim, si in Germaniam peruenisset, ac litteras illas suprascriptas Principibus reddidisset, eorum autographa suis propinquis, vti fecisse eum diximus, relinquere potuisset. Garimbertus *i* tamen, illum ad Albertũ Cesarem adijsse, atq; ab eo reuertisse, scribit: cuius rei cùm ego nullam in Germanicis annalibus significationem inueniã, neq; præterea certi quidquam aliunde haustum habeam, rem nec opinione mea affirmare, nec pro vana prætermittere volui.

i Hoc etiam affirmant Poggius in orat fun. & Z nus c. 18.

Eo anno populus Bononiẽsis à Præfectis Eugenij malè habitus, rursus sese Ecclesiasticæ ditioni subtraxit. Quippe auctoribus Bẽtiuolis, Gubernatorem ab eo impositum vrbe expulit, & Nicolaum *k* Picininũ, Ducis Mediolani Prefectum, statiua non longè habentem, primùm auxilij causâ accersiuit: Deinde aduersus vicinos populos occultè contra se cum Eugenio coniurantes, & libertatis custodẽ, & vrbis administratorem instituit. Qui cùm Cẽtum & Plebem oppida, ad se ab auctoritate NICOLAI Episcopi auertere contendisset, proposito excidit: oppidis illis Episcopo potiùs, quàm populo obtemperare optantibus. Ea res vehementer Eugenium

k Huius crebrius meminerunt Blondus Syluius, Philelphus, & Volater. &c.

l S. Antonin. in Chron. tit. 22 c. 1. §. 16. m An. 1439 iuxta Onuphrium.

l perturbauit; Itaque cùm pridem Ferrariæ laborari pestilentia cœptum esset, atque indies truculentiùs lues illa desæuiret, sequẽti ineunte *m* anno Florentiam transuersis itineribus, ne Bononiẽsem agrum attingeret, festinauit, atque eò Concilium aduocauit; quem Imperator, Patriarcha, cæterique studiosè secuti sunt. Ibi actio prima IV. Kal. Martias, vltima pridie, (apud Surium est, prid. Non. Iul.) Kal. Iulij habita est: in qua quæstio de Spiritu sancto, & de Romanæ Ecclesiæ principatu cum Græcis ex nostrorum sentẽtia est transacta. Ei actioni quoque NICOLAVS interfuit, ac Concilio eodem die perfecto ipse cæteris cum collegis suis *n* subscripsit: quemadmodum ipsius Concilij acta demonstrant.

n Vide Surium Tom. 4 Concil. pag. 467.

CAPVT XVII.

DEPVTATVR SVMMVS QVAESTOR PONTIFICIS Romani, laborat calculo, moritur, ac sepelitur.

DVm autem ibi esset, haudquaquam Ecclesiæ suæ immemor, quæ ipsi assiduè in medullis hærebat, eam duobus Sacerdotibus, quos nominant *Mansionarios*, commendauit, atque ipse summo quæsturæ Pontificiæ honore, mortuo Iordano *a* Vrsino Camerario ab Eugenio auctus est. Quæ res causam attulit, vt nunquã postea ab aula discedere Pontificia quiuerit; Inde prid. Kal Septẽbris Imperatorem à Concilio reuertentem Bononiæ regio apparatu excepit: quem diem festum magnâ lætitiâ obuiam ciuitas progressa concelebrauit.

a Hic obijt anno 14 9. 4 kal. Iun. vt ex Onuphrio cõstat.

Eodẽ etiam anno Patres Basileẽses, postquam Eugenium sępius à se citatum non adesse viderunt, eò vecordiæ processerunt, vt Põtificatum illi abrogarint, & pro eo Amadæum, Ducem Sabaudię, Felicem V. appellatum *b* subdiderint. Quo facto vehementer nõ solùm Eugenij animum multis perturbationibus ægrum perculerunt, sed vniuersam etiam Remp. Christianam vix ipsis iam hærentem ossibus grauissimè vulnerarunt.

b De hoc schismate Platina, Onuphrius, Nauclerus, Cranzius, &c.

Eugenius autem cùm per sequentes tres annos Florentiæ permansisset, demum anno millesimo quadringentesimo, quadragesimo tertio, Nonis Martij Senas concessit; atque ibi spatio aliquot mensium substitit. Interim NICOLAVS, qui ab illius nunquam la-

tere

tere discedebat, grauiter tentari *c* calculo cœpit: quem ex superiore victûs ratione, & præteritorum laborum susceptione contraxerat; quocum per aliquot dies patientiâ magis & virtute, quàm remissione doloris aut spe aliqua vitæ luctatus est; quam libenter se cum meliore atque optabiliore commutaturum esse dicebat. cùm autem sic affectus decumberet, Eugenius, qui illum vnicè diligebat, nocte sæpè solus inuisit, ac bono fidentique animo esse iussit. Verùm consolatione vir fortissimus, & Diuinæ misericordiæ memor non eguit; cùm ipse se & alios confirmare, vel opportuna sacrarum litterarum lectione vel præclara vitæ institutione iam inde ab ineunte pueritia didicisset. Inde morbi grauitate (nam & intimus ardentissimæ febris æstus accesserat) ac doloris pertinacia victus, VII. Idus Maias, anno ætatis suæ *d* sexagesimo octauo est mortuus, ritè omnibus Sacramentis Ecclesiæ, quæ identidem ipse petijt, expiatus.

Quod vt Eugenius sensit, amici desiderio vehementer afflictus, illicò vesicam aperiri, & calculum extrahi iussit, atque apud se pro concepta sanctitatis eius opinione *e* retinuit. Inde in Basilicam vrbis elatum, solemnes super eum precationes effudit, atque ibi honestæ sepulturæ mandauit. Huius mortis nuncio Bononiam perlato; ingens extemplò omnes ciues mœror inuasit. Itaque tabernæ clausæ, Iustitium indictum, atque omnia intimæ ac variæ tristitiæ signa edita, quæ ad decorandum summi alicuius Principis obitum edi potuerunt; Iusta etiam per triduum in Basilica magnificè persoluta, quæ Antiani & Magistratus præsentiam suam afferentes, opifices verò ab operibus suis ad tertiam vsque horam cessantes, honestauerunt. Inde cadauer Florentiam ad monasteriũ Carthusiense translatum, atque in eo hoc qualecunque elogium est incisum: *Sepulcrum omni laude dignißimi, & Reuerendißimi Patris NICOLAI tituli S. Crucis in Hierusalem presbyteri Cardinalis. Hic natus Bononiæ, primùm ex Priore Carthusiensi, petente populo Bononiensi, Episcopus: tum à Martino Pontifice Cardinalis designatus: post plurimas susceptas legationes, Senis diem suum obijt, ætatis suæ anno sexagesimo octauo, vir pijßimus mitißimusq́, vitæ integritate singulariq́; virtute omnium testimonio comprobatus.* In gradibus autem hi versus additi sunt:

c *Poggius in orat. fun. Zenus c. 20. & S. Antoninus, &c.*

d *Idem affirmat Poggius in orat. fun.*

e *Hodie conseruatur Florentiæ in Carthusia magna cum veneratione.*

f *Confirmat hæc Vizanus seu Villanus.*

Carthusiæ g me terra tegit, quem sumpsit alumnum,
Ac dedit esse patrem; patiua Bononia tandem
Me sibi pastorem tenuit de iure vocatum;
Cardinis Ecclesiæ compulsus pondera sumpsi,
Et crucis in titulo mihi fulsit rubra thiara.
Mille quater centum denos quater egerat annos,
Tres etiam h cyclus solaris, dum NICOLAVS
Mente petens cœlum sub saxo corpore claudor.

g Idem epitaphium habet Nomenclator S. R. E. Cardinalium.

h Hoc est anno Dom. 1443.

Hodie quoq; ad perennem sanctitatis eius memoriã Monachi illi calculum eius è vesica exemptum, & Põtificiale superpelliceũ, & sandalia, in sacrario magnâ veneratione custodiunt; Bononienses verò crucem argenteam, quam Legatus pręferebat, & alteram quam sacris operans in pectore gestabat, item acerram & thuribulum eius Ecclesiæ suæ relicta ostendunt.

CAPVT XVIII.

B. VIRI LAVDES SANCTIMONIAQVE.

MEmorabile autem illud, quod paucis post mortem diebus idem Thomæ Sergianensi, familiari suo, obitum suum impatienter ferenti, ac fletu lachrymisq; prosequenti in somnis se obtulit, ac dolorem omittere, & sine curâ ipsum degere iussit: nã præclarè secum Christi beneficio agi, illum verò mox Pontificatum Maximum adepturum. Quod memoriæ prodidit Franciscus Philelphus in oratione ad Xystum a Pontificẽ, his verbis: *NICOLAVS V. cùm NICOLAI ALBERGATI, sapientißimi imprimis, & sancti viri, Cardinalis Bononiensis, obitum molestius ferret, hunc tandem per somnum ad se venire existimauit, & ita anxiũ appellare: Thoma fili, quid diutius gemis? quid adeò te affligis? pone lachrymas, & te collige; nobis enim bene est benignitate Iesu. Itaq. surge, atq. accingere; ad breue enim tempus graue tibi subeundum est munus Petri gubernandæ nauiculæ. Quã quidem somni visionẽ haud ille dißimulãter præ se tulit. Nã cùm alijs nõnullis familiaribus, tũ etiã mihi, cùm hac iter faceret, Germaniam petens, ab Eugenio Legatus, cùm inter loquendum in sermonẽ incidissemus de mansuetudine & grauitate NICOLAI, id omne somniũ coràm veluti iocabundus retulit, subdidit enim: Cùm hoc euenerit, Philelphe mi, fructum recipies veteris nostræ consuetudinis.* Qui verò vi-

a Hic error irrepsit, aut Sigonius memoria lapsus est. Scribit etenim ea Philelphus ad Antonium Marcellum Venetum

uenti beneuolentiam, idem pòst etiam mortuo humaniter ac piè memoriam præstitit. Siquidem Pontifex creatus, se ab illo NICOLAVM V. vocauit, atque icone manu eximij pictoris efficta, in ea S. NICOLAVM Episcopum, in ipsius patris ac patroni sui memoriam, exprimendum curauit, quæ nunc quoque in ara maiori Carthusiæ Bononiensis, cum litteris id significantibus visitur.

Cæterùm NICOLAVS, vir haud dubiò fuit, & sua & Patrum memoriâ magnus, vel potius summus, ac singularis: eò verò maior atque admirabilior, quòd in solitudine fermè atque in angulis, lōgè à ciuilis turbæ & forensis multitudinis conuersatione, atque ab ipsa rerum gerendarum arte educatus, nullius tamen earum rerum expers *b* ac rudis fuit, quas ij tenere solent, qui omnem ætatē in communi consuetudine, nec non in erudito gymnasiorum aularumque curriculo contriuerunt, seseque varijs curarum negotiorumque publicorum meditationibus ac tractationibus assiduè exercuerunt. Ex quo facilè conijcere possumus, excellentem quādam ingenij ac iudicij in eo fulsisse indolem: qui omnia, quæ susceperat, prudenter ac commodè peragebat. Etenim quià natura ad otium & contemplationem factus tantummodo videbatur, ea prudentiæ documenta, atque eruditi cuiusdam consilij dedit, quæ vix multi in aulis Principum conflictati cōsequi potuerunt. Quicūq; verò is fuit, sanctitatis certè eam sibi opinionem perpetua ac constanti ipsius vitæ innocentia peperit, vt à Monachis suis in hūc vsque diem BEATVS NICOLAVS, cognomine à maioribus accepto, vocetur. Quare Franciscus Philelphus postea scribens *c* ad NICOLAVM V. Pontificem, eum *Diuum* conuenienter huic opinioni vocauit: *Reliqua*, inquit, *si sanctissimus ille spiritus Diui NICOLAI Cardinalis Bononiensis, tibi quondam Patris, dum erat in viuis; nunc verò sanctimoniæ tuæ filij (cui nosti me carissimum extitisse) altioribus melioribusq; intētus obsequijs ingerere memoriæ tuæ distulerit: ea, quæ mea interfuerint, omnia tibi Pater Amplissimus Mediolanensis Cardinalis Henricus verbis meis coràm exponet.* Et sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, æqualis eius, eundem *virum Religiosissimum* appellare non dubitauit, qui vitam huius verbis his *d* breuiter est complexus:

b *Idē legitur de S. Hugone Episcopo Lincolniēsi, apud Suriū 17. Nou.*

c *Epist. li. 6. ep. 22. anno 1447.*

d *In Chr par. 3. tit 22 ca. 7 § 3.*

Creauit Martinus Pontifex plures Cardinales, & inter cæteros virum e Religiosissimum Dominum NICOLAVM, ordinis Carthusiensiũ. Hic NICOLAVS Bononiæ, cùm esset Prior dicti Ordinis, vnâ voce cleri ac populi vocatus fuit in Episcopum Bononiensem, cùm vacaret Ecclesia: Quem plurimum renitentem confirmauit & instituit Martinus, Cõstantiæ Põtifex creatus. Episcopus autem factus nihil dimisit de obseruantia & austeritate ordinis sui, & in humilitate eximia Domino seruiẽs, redditus suos pauperibus erogabat, & reparationi Ecclesiæ, & cultui diuino amplificando; multa bona opera operatus est Dominus per eũ in diœcesi suâ Bononiensi. Quorũ ciues ingrati & immemores, quia ciuitatem rebellem Ecclesiæ, de mandato Martini Papæ interdicto supposuit, mortem ei intentarunt. Sed occultè mutato habitu fugiens, impetũ furoris eorum euasit. Qui postmodum Cardinalis presbyter à Pontifice creatus, sicut in Episcopatu fuerat Antistitum exemplar insigne, ita in Cardinalatu extitit Cardinalium speculum. Destinatusq; Legatus ad hoc inter Florentinos & Venetos colligatos ex vnâ, & Ducem Mediolanensem ex parte alterâ, iam fessos expensis & laboribus diuturni belli composuit pacem; Legatusq; postea missus in Galliam Transalpinam, satis laborauit ad concordiam ponendam inter Regem Frãciæ, ac Ducem Burgundiæ. Demum reuersus, cùm Eugenius successor Martini suâ cũ curiâ Senis resideret, infirmatus ex calculo, nullo remedio fieri potuit, vt illum eijceret. Nec mirum; nam corpore post mortem exenterato, repertus est lapis in collo vesicæ incarnatus, grossus f ad modum oui parui gallinæ. cuius exequijs honorabiliter funeri exhibitis, præsente Pontifice, delatum est corpus ad monasterium Carthusiense S. Laurentij prope Florentiam, ibiq; in Ecclesia sepultum, prout ipse mandauerat. Hactenus sanctus Antoninus.

e *Idem S. Antoninus tit. eodem, c. 8 § 9. vocat ipsum, virum sanctissimum.*

f *Idem ait Zenus c. 20 & Pogg. in orat. funeb.*

FINIS.

HVcusque extendebantur exemplaria, quæ ego fueram consecutus. Veruntamen an integra, an mutila fuerint, non possum diuinare. Sunt tamen, qui asserant cum vno M.S. quod vidi, facilè folium vnum circa finem deesse: quo continerentur, quæ spectarent ad illustrem familiam Albergatorum. Vbi ex Italicis typographijs plenius quid in lucem prodierit; poterit suo tempore hic defectus facilè suppleri. Ego elargior, quod accepi.

VARIA

VARIORVM

AC CELEBRIVM SCRIPTORVM TESTIMONIA:

DE VIRTVTIBVS, PRVDENTIA, SANCTIMONIAQVE B. NICOLAI Albergati:

NON SINE LABORE COLLECTA ET IN BONVM ORDINEM REDACTA A F. G. Garnefelt.

BREVIS SATISFACTIO AD LECTOREM.

SEptem orbis miracula à veteribus multis laudib⁹ celebrata sunt, Opt. Lector. At verò facies humana tãtum admirationis habet, vt θαῦμα θαυμάτων, i. miraculũ miraculorum vno sapiẽtum virorum cõsensu meritò vocari queat. Cùm etenim tot millia hominũ in vniuerso terrarum globo viuãt, aut nulli, aut rarissimi reperiuntur, qui sibi per omnia lineamenta secundùm faciẽ similes existant. Si igitur tanta est facierum humanarũ varietas, quanta erit ingeniorum, iudiciorum, ac voluntatum? Facies equidem (nisi morbo, senio, vulnere aut casu aliquo vitien-


tur) in suâ semper permanēt formâ: at voluntatum tãta mutatio est, vt quod vnus idemq; homo hodie laudauit, cras contēnat: quod pridie elegit, postridie reprobet. Experiũtur hoc tum alij plurimi, tum potissimũ ij, qui elucubrationis aliquid in lucē proferunt, quod typis expressum per vniuersum vagetur orbem. Hi equidem tot fermè inueniunt Censores, quot Lectores, & quod omnium intolerabilius est, etiam ignauissimi homines aliorum grauissimos labores reprehendere nõ verentur. Sũt præterea, qui inter pocula & conuiuia suum hisce de rebus exerceāt tribunal, & cum Cerere ac Baccho Musas copulare conētur. Ego quidē magnanimorum virorum exēplo roboratus, eiuscemodi censores generoso animo (vti anserum sibilos) facilè contemno: at intermittere nequeo, quin paucis Instituti mei reddam rationem.

1. Quandoquidē B. Nicolai Albergati vita nũquã typis impressa fuit, operæpretium erat annectere plurima Illustrium virorum testimonia, ex quibus ille sanctitatis titulum cõsequeretur. Si enim (vt Saluator noster affirmat) in ore duorum aut trium stat omne verbum, quantò magis in ore octodecim aut viginti?

2. Hunc modum obseruasse video Eruditum,

ac Religiosum Patrem Henricum Sedulium in sua historia Seraphica: quem non piguit in simili materia imitari.

3. Si vnicuiq; credendum est in sua arte, etiam Bibliopolis fides adhibenda est. Hi porrò ex longo vsu didicerunt, Lectoribus atque Emptoribus ingratum esse, si nuda citatione ipsi Authores allegētur, vbi ipsorum verba dari possent. 1. Quia plurimi sunt, qui Authores citatos nō habent, ideoq; à cibo desiderato manent ieiuni. 2. Quia etiam ij, qui habēt, publicis arduisq; negotijs impediti, varios codices aperiendo ac voluēdo tēpus terere abhorrescūt. 3. Quia mens priùs recollecta nimiùm distrahitur tot libris & Authoribus indagādis atq; legendis. Quę regula licèt in omni genere scriptionis obseruanda non sit, hîc tamen obseruari potuit debuitq;. Habes igitur, Opt. Lector, breuem pro me satisfactionem; quâ acceptâ, si Zoilum ac Sycophantam agere volueris, per me licet. Neminem porrò lædes, nisi te ipsum.



EX LIBRO II. EPISTOLARVM FRANCISCI PHILELPHI, EQVITIS aurati, epistola X.

FRANCISCVS PHILELPHVS NICOLAO CARDINALI BONONIENSI salutem.



Homas Sarzanensis, vir perhumanus & eruditus, Amplitudinis tuæ Secretarius, Pater clementissime, tuo nomine litteras ad me dedit, quibus, quod mihi erat sole (ut aiunt) clarius, non amicè minus, quàm eloquenter ostendit, quanta sit tua erga me charitas; dein monuit, ut tibi significarem, quàm me Florentia delectet; præterea si qua in re tua opera opeq; uti velim, scriptorio calamo ne parcam. Te enim paratum semper fore, ut mihi benefacias. Et habeo tibi, & ago immortales gratias, Pater humanissime, quòd ex qua die primùm Bononiæ me vidisti, ac tuam excepisti in clientelam, te mihi patronum semper, te patrem, te beneficum præstiteris; & id quidem nullis meis de te meritis, sed sola tua mansuetudine atq; benignitate. Imitatus tu sanè eum, cuius crucem pro signo geris, Christum Optimum, Maximum, qui, ut cunctis mortalibus benefaceret, sibi ipsi non pepercit. Nunc ad ea, quæ verbis tuis mihi Thomas tuus scripsit; Et de Florentia primùm. Quem Florentia minus delectarit, is certè nulla bonitate floret. Est enim eiusmodi urbs Florentia, cui tanquam Pandoræ cuiquam Dij omnes, ut ad Poetas redeam, singuli bona singula dono dederint. Nihil enim huic urbi deest, quod ad humanam accedat felicitatem. Cæterùm inter rosas etiam sunt spinæ, & in terra nihil est tam ex omni parte perfectum, quod non aliquid habeat, quod offendit. Equidem uniuersæ ciuitati sum charissimus, meq; viri omnes boni ac præstantissimi ciues & colunt, & faciunt plurimi. Nec est mihi apud Florentinos optandum quicquam, quod sperare non liceat. Vix primarij ipsi ciues in rebus etiam maximis plus habent auctoritatis, quàm ipse ego. Omnes mihi gratificari student, obsequuntur omnes. Nihil à me, neq; mea, neq; amicorum caussa frustra

petitur. Cæterùm quò magis valeo apud Florentinos vel auctoritate, vel gratiâ, eò magis mihi cauendum est, ne quid magni mali inuidia mihi aliquando pariat. Sunt enim aliqui fucati litteris, quos mea præsentia idcircò plurimùm turbat, quòd sperent, si ipse abessem, sese in maiori aliquo pretio futuros. Itaq. dignitati meæ clam semper insidiantur: Qui etsi mihi nihil obesse possunt, metuendum est tamen. Nam ingenia Florentina acerrima sunt, & in omnem partem strenua. Quid multis? Nisi adhuc in proximum annum publico docendi muneri essem obstrictus; operam darem omnino, vt inuidiæ cederem, & in aliquem tutiorem portum ex huiusmodi fluctibus me reciperem. Nam quanquam vniuersa me Florentina Respublica & diligit plurimùm, & facit maximi: ea tamen est hominum natura, vt non minus pauci atq. imbecilli nocere possint, quàm vniuersa manus potentiorum prodesse cuiquam. Miserentur sanè omnes, & permolestè ferunt, si cui bono viro inferatur iniuria; Succurrit autem nemo. Nec id de peregrinis solùm vsu venit, sed de ipsis etiam præstantioribus ciuibus. Sunt qui sicarios parauerint, per quos Nicolaum Guzanum virum primarium in Republica interimerent. Detectis insidijs, non modò nullum de his supplicium sumptum est, qui sicarios instruxerunt: sed tentatum potius, vt Nicolaus ipse plecteretur, qui & vir grauissimus esset, & in Republica potentissimus. Nam sicarij feruntur instructi à duobus Soderinis fratribus, Nicolao ac Thoma, iuuenibus promptis, & audacibus: quorum pater fuerat (vt vulgò dicitur*) publico iudicio obtruncatus, quoniam esset insimulatus inijsse consilium, nescio quod aduersus Rempublicam. Quî ergo ipse minus mihi metuendum putem, qui & iuuenis sim, & nullarum virium, cùm videam virum tantis fretum clientelis, tantis opibus, tantis factionibus in vltimum propè periculum adductum, quoniã aduersus sontes sontis causam persequeretur? Nam alterius factionis princeps dicitur Cosmus Medices, vir, vt scis, Florentinorum omnium pecuniosissimus. Eoq. mihi res videtur per mutua animorum odia irritamentaq. processisse, vt nobilissima hæc ciuitas non admodum longè abesse posit in tantis procellis ac fluctibus à tristi & miserabili naufragio. Accedit ad hanc mali suspicionem, quòd hi, qui liuore me, atq. odio insequuntur, ipsius Cosmi vtuntur veluti patrocinio. At Cosmus quanquam videtur amantissimus mei; eiusmodi tamen virum esse animaduerto, qui & simulet, & dissimulet omnia. Estq. vsque

*machinatore & authore ipso Nicolao.

adeò taciturnus, vt ne ab intimis quidem familiaribus, ac domesticis queat intelligi. At Laurentius huius frater ingenio est & aperto, & leui; cui Cosmus etsi vir est grauissimus, tamen, vt audio, nequaquam audet aduersari. Ego autem neutram pendeo in partem; æquè omnibus morem gero, illudq; Ciceronis studiosissimè tueor: non oportere peregrinum in aliena republica esse curiosum. Caterùm quum in naui obnoxiâ naufragio nemo potest tutò nauigare; ego hinc quàm libentissimè abfuerim. Duo in Italia loca sunt, quorum alterutrum non inuitus optarem; Mediolanum, & Romana Curia: siue enim apud Pontificem Maximum, siue apud inclytum ducem Philippum Mariam mihi honestus daretur locus, eum non modò non reijcerem, sed cæteris omnibus iucundissimè præferrem, atq; amplecterer. Tenes tu, Pater Reuerendissime, & studia mea omnia, & consilium, & voluntatem. Quãtum mihi prodesse possis, non sum ignarus. Quantum etiam velis, iam pridem expertus sum. Quæ cùm ita sint, Clementiam tuam rogo etiam atq; etiam, oroq;, vt huic meo desiderio consulas. Quicquid ipse de me statueris, indubitatò persequar. Operamq; dabo, vt tua de me opinio te nunquam fallat. Nam neq; fidei vnquam deero, neq; industriæ, neq; diligentiæ. Valeat quàm diutissimè Integritas Sanctimoniaq; tua, Pater Clementissime, tibiq; certò persuade, me ita esse in potestate tua, vt omnia de me tibi polliceri queas. Ex Florentia X. Kal. Octob. anno Natali Christiano M. CD.XXXII.

Ex eodem Philelpho.

ET quantumuis idem Franciscus Philelphus plures dederit litteras ad Thomam Sarzanensem, B. Nicolai alumnum, vti libro 1. epistolarum, anno 1428. libr. 2. epist. 11. ann. 1432. atque epist. 16. ann. 1433. lib. 11. ann. 1453. Item anno 1454. & licèt eundem Thomam laudet libr. 13. epist. 1. ann. 1456. ad Callistum III. Pontificem Romanum, & libr. 14. ad Pium II. Pontificem Romanum, anno 1458. tamen nullibi adeò præclaram mentionem facit beati Nicolai Albergati, quàm libr. 6. epist. 22. ann. 1447. ad ipsum Thomam, cùm electus esset in Pontificem Romanum, vocatusque Nicolaus V. vbi inter cætera sic scribit:

Et ne maximis occupationibus tuis, vel intempestiuior accedam,

vel importunior; iam de his satis. Nam reliqua si sanctissimus ille spiritus Diui Nicolai Cardinalis Bononiensis, tibi quondam Patris, dum erat in viuis; nunc verò sanctimoniæ tuæ filij, (cui nosti me charissimum extitisse) altioribus melioribusq. intentus obsequijs, ingerere memoriæ tuæ distulerit ea, quæ mea interfuerint, omnia tibi Pater amplissimus Mediolanensis Cardinalis Henricus verbis meis coràm exponet.

Agnoscit igitur Philelphus, beatum Nicolaum iam corpore exutum cœlestibus rebus occupari, id est, æternâ perfrui felicitate. Verùm de hac beatitudine audiamus ipsum manifestiùs disserentem. Sic autem habet in oratione ad Iacobum Antonium Marcellum, Patritium Venetum: quem doctissimis rationibus de obitu Valerij filij consolatur.

Sed hæc horumq. similia, si cuiquam fortasse videantur antiquiora, exemplis item duobus tempestatis nostræ contenti simus. Gabriel Condulmerius (qui postea Eugenius nominatus, summa cum dignitate, & gloria Romano Pontificatui præfuit) cùm vehementius ægrotaret, essetq. de eius salute à Medicis omnibus desperatum: illi iam de morte non tam sollicito, quàm nihil certius expectanti, & Petrus & Paulus Apostoli duo apparuerunt in somnis, vtq. bono animo esset, hortati sunt. Nam & bonam valetudinem ei redditam esse, & propediem fore, vt Summus Pontifex crearetur. Quod quidem vtrumque secutum est. Nam tum simul cum somno illum reliquit febris; tum non multò pòst, cùm Martinus Columna, prudentissimus ille & amplissimus Pontifex quàm fortunatissimè, & cum mirifico Ecclesiæ Romanæ incremento vitam finisset, Pontificatui ille præfectus est. At Nicolaus V. optimus ille ac eruditissimus planè vir (in cuius munificentissimi Patris obitu docti omnes ingeniòq. præstantes extremum naufragium passi sunt) cùm Nicolai Albergati, sapientis comprimis, & sancti viri, Cardinalis Bononiensis obitum molestius ferret, hunc tandem per somnum ad se venire existimauit, & ita anxium appellare. Thoma fili, quid diutius gemis? quid adeò te affligis? Pone lachrymas, & te collige. Nobis enim bene est, benignitate IESV. Itaque surge, atque accingere. Ad breue enim tempus graue tibi subeundum est munus Petri gubernandæ nauiculæ. *Quam quidem somni visionem haud ille dissimulanter præ se tulit. Nam cùm*

alijs nonnullis familiaribus, tum etiam mihi (cùm hac iter faceret Germaniam petens ab Eugenio Legatus) cùm inter loquendum in sermonem incidissemus de mansuetudine & grauitate Nicolai Cardinalis, id omne somnium coram veluti iocabundus retulit. Subdidit enim: Cùm hoc euenerit, Philelphe mi, fructum recipies veteris nostræ consuetudinis. Cumq; intra Alpes eodem itinere obuiam habuisset AEneam Syluium, integerrimum & eloquentissimum Episcopum Trigestinum (qui à Friderico Austrio, Romanorum rege orator veniebat ad Philippum Mariam, inclytum Mediolanensium Ducem) simulq; vterque vesperi diuertissent in quandam cauponulam, & AEneas parciùs sumptus faceret (vtpote qui ab eo Rege legaretur, qui Stoica eruditus instructusq; disciplina, non minus parcimoniæ nummorum, quàm vitæ frugalitati continenter studet) tum ad AEneam conuersus Thomas: Reuerendissime Pater, *inquit,* quid est opus tanta vtamur parsimonia, cùm vterque in Ecclesia Romana Pontifices Maximi futuri sumus? *Quam quidem rem non seriò minus quàm ioco eum prædixisse, certus ostendit euentus. Videmus enim alterum summâ suâ cum laude Summum Pontificem concessisse naturæ: At AEneam (cui nunc Pio II. nomen est) non secus fortiter quàm constanter Pontificatum gerere.* Hæc ibidem.

Errant igitur, qui asserunt Philelphum hæc scribere in oratione ad Xystum IV. Pontif. Rom. in qua huius rei ne verbo quidem mentio fit.

Porrò ex hoc fonte, id est, ex hac Beati Nicolai reuelatione & apparitione videntur ea profluxisse, quæ Philelphus scribit libro 14. epistolarum ad Pium II. Pontificem Romanum, anno 1458. vbi post alia sic habet: *Neque videri voluisti oblitus, quòd, viuo adhuc & omni ex parte incolumi Callisto Pontifice, afflatu illo vel Poetico, vel Diuino fore prædixerim, & id quidem hoc ipso præsenti anno: vt & Callistus ex hac luce migraret, & ipse tu (quod omnium votis fortunatissimè contigit) tantis Christianæ Religionis tenebris lucem esses per optatissimum tuum Pontificatum allaturus.*

Item libr. 16. ann. 1461. ad eundem Pium secundum Romanum Pontificem: *Voluit tandem sanctissimorum operum retribu-*

ter DEVS, vt in supremo Christianæ Religionis solio Sacerdos Maximus constitutus vicem Christi in terris gereres. Quâ certè vnâ re diu à me antea non minus, vt scis, prædictâ sæpè, quàm expectatâ nihil vnquam audiui in vniuersa vita neque optatius, neque iucundius.

Ex historijs Flauij Blondi.

HAbuit autem paulò supra ætatem nostram Bononia Ioannem Andreæ Calderinum, Iureconsultorum ætatis suæ celeberrimum. Gaudemusque ætatem nostram tulisse Nicolaum Albergatum, qui primò Carthusiæ Monachus, pòst Bononiæ Episcopus, demùm Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vir fuit tum celebris sanctimoniæ, tum etiam sapientiæ singularis.

Hæc ille in Italia à se illustrata: vbi de Flaminia seu Romandiola, & in specie de Bononia tractat.

Meminit etiam eiusdem Nicolai idem Blondus libr. 3. Decad. 3. de Inclinatione Imp. Romani, hisce verbis:

Decem eodem mense (id est, Maio) Pontifex ipse creauit Cardinales, quorum duos ex Bononia tunc accepit, petentem efflagitantemq́; vnum Arelatensem illum Bononiæ gubernatorem; alterum enixissimè reluctantem Nicolaum Albergatum, Bononiensem & Ciuem & Episcopum, maximæ virum sanctimoniæ, cui Ecclesia rarissimos ætate nostra habuerit Prælatos adsimiles.

Ex epistola 188. A Eneæ Syluij, qui postea Romanam Sedem meritus, dictus est Pius II.

VIdimus vnà Genuam Ligurum metropolim; superauimus Apenninum, ac transmisso Pado Philippum illum inclytum Longobardorum Ducem, apud Mediolanum Ducem adiuimus. transmisimus Cælo vicinas Alpes, & formidabilem Pontum, & Lucrinum lacum, & campes Heluetiorum. Venimus Basileam, & sub dominio Cardinalis tui (qui tunc sanctæ Mariæ in via lata cognomine fuit, nunc sanctæ Crucis appellatur) in

Concilio magno fuimus. Quàm dulcis conuersatio nostra fuit? quàm suauis in omni fortuna societas? Nihil mihi graue, te comite, videbatur. Memini adhuc Petre, cùm simul vno cubiculo dormiremus, quoties mihi ad multam noctem vigilanti, ac nunc vnum, nunc alterum Poëtam legenti, subridens dixeris: Quid te maceras, AEnea? Doctis aequè ac indoctis fortuna consulit. At cum Dominico, (quamuis is esset benignus & optimus Pater) cùm paupertate eo tempore premeretur, perseuerare minimè potuimus. Disiuncti aliquot annis fuimus; sed iterum nos fortuna coniunxit apud Nicolaum S. Crucis venerandum Patrem, & omnium opinione sanctissimum, &c.

Hæc AEneas ad Petrum Noxetanum Equitem & Comitem Palatinum: cui ex vrbe Neapolitana scripsit ann. 1456. referens quomodo ab imis ad altiora ascenderit.

Consule hac eadem de re Platinam in Pio II.

Porrò Cardinalis ille, quem AEneas ob paupertatem reliquit, fuit Dominicus Capranica, Romanus, LL. Doctor, Secretarius & Protonotarius Apostolicus, qui à Martino V. anno 1426. factus est Cardinalis Diaconus sanctæ Mariæ in Via lata (non Inuiolatæ, vt mendosè habet editio Basileensis in operibus AEneæ Syluij) postmodum verò ab Eugenio IV. creatus est Cardinalis Presbyter S. Crucis in Ierusalem, succedens scilicet B. Nicolao nostro. obijt tandem maior Pœnitentiarius ann. 1458. vt ex Onuphrio demonstrari potest.

Quòd attinet ad Petrum Noxetanum, hic cùm adhuc esset Scriptor Apostolicus, scripsit eidem AEneæ conquestus suam fortunam. Vbi inter cætera sic habet de nostro B. Nicolao.

Dum adhuc vixit Cardinalis sanctæ Crucis (cuius memoria nunquam ex me delebitur) spes mihi erat non mediocris, quæ tota cum illo cecidit.

Data est epistola Romæ anno 1443. 18. Nouembr. eo scilicet anno, quo hinc migrauit beatus Nicolaus. Est in operibus AEneæ tota Epistol. num. 180. quam integram exhibere necessarium non est.

Ex Chro-

Ex Chronico S. Antonini, part. 2. tit. 15. cap. 22. §. 2.

Ex hac Religione (scilicet Carthusiensium) assumptus ille vir venerabilis, Nicolaus nomine Bononiensis, ad Episcopatum Bononiensem inuitus: & postea ad Cardinalatum à Martino Papa V. semper seruans rigorem suæ Religionis: Speculum sine macula omnibus Curialibus & Præsidentibus, Pauper Pauperum, inter Principes sæculi dissidentes pacis reformator, schismatis impeditor: demum sub Eugenio Papa Senis migrauit ad Christum ex infirmitate calculi: cui exenterato repertus est lapis grossus ad modum oui in fundo vesicæ, quasi incarnatus, &c.

Item part. 3. tit. 22. cap. 7. §. 3.

Creauit ipse (Martinus Papa V.) plures Cardinales, & inter cæteros virum religiosissimum Dominum Nicolaum Ordinis Carthusiensium. Hic Nicolaus Bononiæ cùm esset Prior in monasterio Bononiensi dicti Ordinis, vna voce Cleri & populi vocatus fuit in Episcopum Bononiensem, cùm vacaret Ecclesia; quem plurimùm renitentem confirmauit & instituit Martinus, Constantiæ Pontifex creatus. Episcopus autem factus, nihil dimisit de obseruantia, & austeritate Ordinis sui, & in humilitate eximia Domino seruiens, redditus suos pauperibus erogabat, & reparationi Ecclesiæ, & cultui diuino ampliando: multaq; bona opera operatus est Dominus per eum in diœcesi sua Bononiensi. Quorum ciues ingrati & immemores, quia ciuitatem rebellem Ecclesiæ de mandato Martini Papæ interdicto supposuit, mortem ei intentarunt. Sed occultè mutato habitu fugiens, impetum furoris eorum euasit: Qui postmodum Cardinalis Presbyter à Pontifice creatus, sicut in Episcopatu fuerat Antistitum exemplar insigne, ita in Cardinalatu extitit Cardinalium speculum, destinatusq; Legatus ad hoc inter Florentinos & Venetos colligatos ex vna, & Ducem Mediolanensem ex parte altera, iam fessos expensis, & laboribus diutini belli, composuit pacem; Legatusq; missus postea in Galliam Transalpinam, satis laborauit ad concordiam ponendam inter Regem Franciæ, & Ducem Burgundiæ.

diæ. Demùm reuersus (cùm Eugenius successor Martini cum sua Curia Senis resideret) infirmatus ex calculo, nullo remedio fieri potuit, vt illum eijceret. Nec mirum, nam corpore post mortem exenterato, repertus est lapis in collo vesicæ incarnatus, grossus ad modum oui parui gallinæ. Cuius exequijs honorabiliter funeri exhibitis, præsente Pontifice, delatum est corpus ad monasterium Carthusiense S. Laurentij prope Florentiam, ibiq́; in Ecclesia sepultum, prout ipse mandauerat.

Item cap. 8. §. 9.

MArtinus Pontifex (cuius opera, vt credebatur à multis, bellum antea tractatum fuerat) Cardinalem sanctæ Crucis, virum sanctissimum Nicolaum, prudentia & æquitate insignem, primò Venetias Legatum misit.

Ex Platina de Vitis Pontificum, in Nicolao V. 217. Pontif. qui ante Pontificatum vocatus est Thomas Sarzanus.

SVnt autem, qui scribant, Thomam Pisis natum, Lucæ educatum, Bononiæ literas & bonas artes didicisse: maximè verò Philosophiam & Theologiam, adiutus beneficentia sanctissimi viri Nicolai Albergati, Cardinalis sanctæ Crucis, adolescentis ingenio delectati. Hanc ob rem in Pontificatu hominis de se bene meriti nomen sumpsit. Cùm verò Magistri nomen in Gymnasio consecutus esset: acerrimis disputationibus probatus, Cardinalem sanctæ Crucis secutus, familiæ tanti viri œconomus factus, in numero Scriptorum Pœnitentiariæ primò refertur: deinceps Subdiaconatum Pontificium adeptus, bene agendo, vitamq́; sine inuidia & æmulatione ducendo, maiora mente concepit.



Item in Pio II. 219. Pontif. qui antea dictus est AEneas Syluius.

AEneas Nicolaum sanctæ Crucis Cardinalem secutus, Patrem certè optimum, ac omnium opinione Sanctissimum : *qui Atrebatum profectus Eugenij iussu, vbi conuentus Gallorum principum habebatur, pacem inter Ducem Burgundiæ (qui cum Anglis sentiebat) & Regem Franciæ composuit. Redeunte autem in Italiam Nicolao, quem Veneti, ac Philippus Mediolani Dux auctorem componendæ pacis requirebant, AEneas non admodum Eugenio gratus, Basileam proficiscens, magno semper in honore apud omnes est habitus.*

NOTA.

EX hisce colligis, Opt. Lector, duos ex beati Nicolai nostri alumnis in Pontifices Romanos sublimatos. De priore testatur etiam sanctus Antoninus in Chron. tit. 22. cap. 12. hisce verbis: Hunc in studijs enutriuit Dominus Cardinalis Carthusiensis : & propter probitatem eius postmodum in socium Secretarium suum & in Legationibus, & in Curia assumpsit.

Ex Pauli AEmylij Veronensis, de rebus gestis Francorum, libr. 10 in Carolo VII.

DVobus Romanis Legatis Cardinalibus, viris sanctis, vltrò citroq́; commeantibus, efficitur, vt in Atrebates Anglorum Ducum (Rex enim Henricus in Angliam è continenti transmiserat) Franciq́; Regis, ac Burgundionis Ducis Oratores conuenirent. Ibi de pace agi cœptum, anno eius sæculi tricesimo quinto, &c.

Quamuis autem AEmylius non exprimat nomina horum Cardinalium : constat tamen tum ex Sigonio, tum ex Concilio Basileensi, horum alterum fuisse beatum Nicolaum Albergatum, alterum Arelatensem, id est, Ludouicum Alamannum, Gallum : qui vulgo Arelatensis appellatus est, vt ex Onuphrio constat. Fuit enim Archiepiscopus Arelatensis, & obijt Arelati anno 1450. 13. Kalendas Nouembris. Hunc post mortem miraculis claruisse inuenio, in libro Benefactorum

nostrorum minorum: cui suffragatur AEneas Syluius, id est, Pius II. Pontif. Rom. in sua Europa, cap. 42. Ponit eundem Canisius 16. Sept. inter sanctos.

Quanquam Robertus Gaguinus libro 10. de historia Francorum, alterum horum Cardinalium vocet Cyprium. Quis autem fuerit ille Cyprius, quem Carolus VII. Rex Francorum petijt à Concilio Basileensi, vocatque consanguineum suum, facilè exponet Onuphrius, qui vocat hunc Hugonem Lusignanum, regis Cypri fratrem, asseritque à Martino V. factum Cardinalem Diaconum S. Hadriani, anno 1426. sed postmodum ab Eugenio IV. designatus est Card. Episcopus Prænestinus; obijtque anno 1442. in Sabaudia priuatus. Veruntamen hunc sanctitatis nomen obtinuisse non legi. Arbitror igitur AEmylium loqui de B. Nicolao Albergato, & B. Ludouico Arelatensi.

Neque interim incredibile cuiquam videri debet, si hic Ludouicus Arelatensis miraculis claruisse scribatur: cùm alioquin aduersus Eugenium Pontificem Rom. schisma fouerit. In Sanctis etenim non tam vitæ cursum, quàm finem consideramus. Multi equidem aliquando ex prepostero zelo aberrarunt, qui tamen postmodum ex diuinæ gratiæ lumine illis affulgente resipuerunt. Ex hisce fuit S. Paulus Apostolus, S. Guilhelmus Dux Aquitaniæ, alijque in orientali ac occidentali Ecclesia perplures. Demus igitur etiam B. Ludouico pœnitentiæ locum, quem ex grauissimo Historico possum demonstrare. Onuphrius equidem Panuinus satis ostendit, hunc ad vnitatem Ecclesiæ redijsse sub Nicolao V. Pontif. Rom. hisce verbis: Ludouicus Alamannus, Gallus, Archiepiscopus Arelatensis, priuatus ab Eugenio IV. restitutus à Nicolao V. Presb. Card. tit. S. Cæciliæ. Quid? ipse Amadæus Dux Sabaudiæ, qui contra Eugenium IV. & Nicolaum V. in schismate sedit Antipapa, dictus Felix IV. reuersus est ad Ecclesiæ vnitatem, & sancto fine quieuit? Hoc idem Onuphrius apertis verbis attestatur.



Ex Polydori Vergilij libr.23. rerum Anglicarum.

DVm autem ita Angli Franciq́ de potentatu, de Principatu, de vita deniq́ certant, in terra Galliæ per bellorum licentiam mortalium omnium facultates rapiuntur, thesauri sacri spoliantur, homines passim occiduntur, aut conuulnerantur, cruciatu & supplicio afficiuntur, matronæ constuprantur, virginum raptus fiunt ex complexu parentum, quotidie oppida capiuntur, quotidie diripiuntur, atq́ oppidanorum opes aliò exportantur, ædificia, viciq́ incenduntur, ac nullum deniq́ crudelitatis exemplum in miseros Francos non editur. mitto sexcenta alia calamitatum genera, quibus pariter premebantur. Nec Anglia eiusmodi iniuriarum expers erat, quæ in singulos dies suorum funera, cædes, vulnera, ac tributis assiduis opes suas diminui videbat, ita vt communia propè mala essent, ploratibusq́ vtriusque gentis totus Occidens sonaret, ac fama tristimoniæ plenissima in omnes orbis partes perueaderet. Quapropter non erat, qui non miraretur, quomodo hi duo populi ad patiendum satis essent, ac maximè misereretur, & cum primis id faciebat Eugenius quartus Romanus Pontifex, qui cupidus ineundæ rationis, quâ importunissimi belli finis fieret, Nicolaum Cardinalem sanctæ Crucis in Gallias misit ad conciliandam pacem inter reges. Is vbi eò peruenit, ad Carolum primum adit, eiq́ exponit mandata Pontificis, inde eadem Bedfordiensi refert, hortatur pacem, demonstrat, declarat, argumentatur eam semper honestiorem esse, quàm bellum in Christianis Principibus, qui suorum commodis seruire, qui iustitiam seruare, qui se ratione regere, qui remittere semper aliquid de ira, de iniuria deberent, quæ per bella fieri non liceret. Ista in animos principum inducere conanti Legato vterque respondit, se paratum ad omnia descendere. cæterùm cùm res cœpta est agi, tantùm abfuit, vt honestis conditionibus essent contenti, vt etiam magis atque magis in pertinacia permanerent. Id Cardinalis animaduertens, desperata pace, vt ne frustrà tantum laboris subijsse diceretur, inducias in sex annos confecit, quas vt ægrè ambo Principes rogatu Cardinalis concesserunt, ita post eius discessum subitò fregerunt.

Non nemo ex recentioribus auctoribus tradit, Francos priores illas violasse, qui passim Anglorum Burgūdionumq́ amicos multarint. Quo

factum est, vt irritatis vtrimq; animis, acrius solito ad arma itum sit. Fuit ille annus salutis humanæ 1433.

Ex eiusdem Scriptoris lib. 23. rerum Anglicarum.

EVgenius proinde Romanus Pontifex certior factus de eiusmodi hominum mentium motibus, quasi pro certo habens, pacem conuenturam, primo quoque tempore Nicolaum Cardinalem rursus in Gallias misit, qui vbi eò peruenit, conuentum ad Atrebatium ciuitatem indixit, quo conuenêre Henrici Regis Legati, Henricus Vintoniensis Cardinalis, Henricus Eboracẽsis Antistes, Gulielmus Suthfolchiæ, & Ioannes Huntyngtonæ Comites, eius legationis principes. Item Franci Legati, Rhemorum Archiepiscopus, Dux Borboniensis, Arthurus Comes Richemondiæ, ac honesti equites nonnulli. Burgundio etiam suos misit, Leodiensem, Cameracensem, & Atrebatensem Episcopos, cum plerisque heroibus viris equitibus. In hoc frequenti conuentu, post longam disputationem, Nicolaus Cardinalis homo spectatus in iudicandis rebus, fit omnium consensu rei disceptator: is rursus singulos sententiam rogauit, quò secundum iustitiã iudicaret. Petebant Angli, vt Carolus declararetur Henrici beneficiarius, contra Franci alterius factionis Carolo imperium liberum, non precarium esse volebant. Nicolaus his auditis, nihil de possessione tunc decernendum iudicans, leges fœderis in publico proposuit, quas pro præsenti rerum statu, vtrinque dandas & accipiendas iure censebat. Has tamen vterque respuit. Atque ita negotio infecto à conuentu discessum est. Ea res fecit, vt Burgundiones & Franci cœperint mox inter se de concordia agitare, quam multis de caussis, vt supra planum fecimus, ipse Philippus Burgundio diu antea optârat. Conuenit itaque pax eiusmodi conditionibus, vt Carolus Burgundioni præter nonnulla loca Burgundiæ finitima, quæ eius maiorum ditionis fuissent, Arthesio, & oppidis Ambiano, Corbia, Perona, Fano Quintini, Abbatisuilla, ac Pontiui & Boloniæ comitatibus cederet, &c.

Fuit hic annus, cùm hæc gesta sunt, humanæ salutis M. CD. XXXV.

EX ONVPHRIO PANVINO, DE Pontificibus Romanis.

QVandoquidem non cuiuis peruia ſunt, quæ Concilium Baſileenſe ac ſchiſma iſtius temporis concernunt: de quibus mentio fit in actis B. Nicolai apud Zenum Sigoniumque: Volui in gratiam beneuoli Lectoris adiungere ex Onuphrio, quæ plurimum lucis adferre poſſunt. Sic autem habet.

Concilium Baſileenſe, & ſchiſma XXIX. in Romana Eccleſia.

INdixerat Concilium Baſileenſe, ex præſcripto Concilij generalis Conſtantienſis, Martinus Papa III. in quo de componendis moribus tam Clericorum, quàm Laicorum nimia licentia iam labefactatis, itemq. de Eccleſiæ Romanæ reformatione agendum eſſet: iamq. ad id inchoandum Legatum Cardinalem Iulianum Cæſarinum maxima cum auctoritate miſerat, quum rebus humanis exemptus eſt. huius ſucceſſor Eugenius IV. Martini inſtitutum ſequutus, Concilium ipſum à Martino indictum auctoritate ſua confirmauit, atque approbauit, & vt inciperetur à Legato Iuliano Cæſarino voluit. quum autem maxima prælatorum multitudo ex vniuerſo orbe Latino Baſileam indies conflueret, atq. 14. Kal. Aug. anni 1431. Pontificatus Eugenij Papæ IV. primo, Concilium inchoatum eſſet, multa de Eccleſiæ Romanæ reformatione tractari cœpta ſunt; in quibus ſub prætextu reformandi Rempubl. Chriſtianam, pleraq. Eccleſia Romanæ priuilegia, & ea quæ erant magis neceſſaria omnino tollere, & antiquare ſtudebant; id veritus Papa Eugenius IV. Concilium Baſileenſe, licet illud iam pridem approbaſſet, Legato Apoſtolicæ Sedis reuocato, ob eiuſmodi cauſam diſſoluere iuſsit, idq. Ferrariam tranſtulit, hac occaſione, quòd diceret Græcos cum Eccleſia Romana in fidei articulis, in quibus Græci aberrabãt, conuenturos eundem locum ſibi delegiſſe. quæ omnia eò tendebant, vt Concilium Baſileenſe diſſolueretur, quo cognito Prælati Concilij Baſileenſis, quorum ſignifer, & dux erat Ludouicus Alamannus Cardinalis Arelatenſis, qui ab Eugenio IV. cum quo graues inimicitias habebat, ad eos confugerat, nulla ratione vnquàm compelli potuerunt, vt Eugenio

obtemperarent. quamobrem non solùm Basileâ non discesserunt, sed ipsũ cum Cardinalibus omnibus ad Concilium Basileense legitimè congregatum citauerunt. Ipse autem Basileam omnino accedere renuens, quò illud Concilium vel omnino tolleret, vel infirmaret, Ferrariam, vbi suo nomine Nicolaus Albergatus Cardinalis tit. S. Crucis Apostolicæ Sedis Legatus 5. Idus Aprilis, anno 1438. Concilium generale ab se iam pridem indictum inchoauerat, cum suis Cardinalibus profectus est Pontificatus sui anno 8. in quo de omnibus controuersiis transactum est, quæ vnquam inter Græcos & Latinos emerserint. verùm nono, postquam inchoatum fuerat, mense, repentina pestis vi Ferrariæ ingruente, Pont. Eug. coactus est illud Florentiam transferre, vbi anno sequenti 1439. pridie Nonas Iulij finitum est, quum per annum, & tres ferè menses partim Ferrariæ, & partim Florentiæ perdurasset: in eo autem Græcam Ecclesiam cum Romana in eis articulis fidei consensisse ferunt, de quibus olim maxima inter vtrasq. Ecclesias exorta fuerat controuersia. Interim verò Basileenses, quum Eugenium IV. suosq. Cardinales Basileam ad Concilium sæpè citassent, nec vnquam vel accedere, vel aliquem suo nomine mittere voluisset, ipsum tunc Florentino Concilio insistentem damnauerunt & anathemate notatum, in publica XXXIV. sess. 7. Cal. Iulij anni 1439. Romano Pontificatu priuauerunt, sacerdotij sui anno 8. mense 3. & die 23. atq. ad alterius Pontificis electionem hac ratione eodem anno processerunt.

Priuato Romano sacerdotio Eugenio IV. Prælati Concilij Basileensis, quibus Cardinalis Arelatensis Eugenio IV. infensissimus præsidebat, de noua Rom. Pont. electione pertractare cœperunt, atq. post multas disceptationes tandem in hanc sententiam deuentum est, vt Triumuiri nominarentur, qui ex Concilij corpore nouem, & viginti alios electores omnes viros religiosos, & in sacris ordinibus constitutos, legerent, quorum suffragijs cum ipso Cardinali Arelatensi nouus Rom. Pont. eligeretur: tunc prid. d. Oct. anni 1439. ex sententia Guillelmi Archidiaconi Metensis, postea Cardinalis, frater Thomas Abbas de Donduno Scotus, Ioannes Segobiensis Hispanus, & Thomas Corcellus, viri graues, & prudentes, eximiæq. probitatis existimati, ac SS. Theologiæ Doctores electi sunt, cum auctoritate, vt singuli tot collegas ex quatuor nationib⁹, quæ Concilio intererant, Italica videlicet, Gallica, Hispana, & Germanica sibi cooptarent, qui cum ipsis XXXII. numerum complerent. Statutum

enim

enim in Concilio fuerat in electione Pontificis futuri addendos esse Cardinalibus, qui electioni essēt adfuturi, duos & XXX. alios electores, octo scilicet ex vnaquaq; natione: quo autem hæc commodius perfici possent, Triumuiri 9. Kal. Nou. quartum sibi collegam adsciscunt Christianum de Grex Germanum: nam totidem erant nationes, qui simul iuncti 5. Kalend. Nou. in publica XXXVII. Concilij Basileensis sessione, XXVIII. alios electores elegerunt, pari numero ex omnibus nationibus, septem videlicet pro qualibet natione, quæ quatuor erant. porrò autem inter ipsos electores fuerunt Episcopi XI. Abbates VII. Theologi V. Interluminati ac Doctores IX. omnes in presbyterij ordine constituti, quorum suffragijs, & lectione nouus Rom. Pont. crearetur.

Eodem anno 9 Kal. Nouemb. locus conclauis in Episcopali palatio extructus est, & cellulæ Romano more omnibus diuisæ.

Eodem anno 3. Kal. Nou. Officiales, conclauis videlicet custodes numero XI. Clerici cæremoniarum duo, Promotor vnus, & Soldanus vnus in Concilio creati sunt.

Eodem anno & die, videlicet 3. Kal. Nouemb. cantata missa Spiritus sancti per Dominum Cardinalem Arelatensem, omnibusq; electoribus sacra Eucharistia refectis, electores ipsi numero XXXIII. cum ipsomet Cardinali conclaue ingressi sunt paratum in Episcopali palatio Basileensi pro noui Pontificis electione, vbi sex diebus commorati, septimo postquam conclaue ingressi fuerant die, à depositione verò Eugenij Papæ IV. mense 4. & die 12. hoc est, Nonis Nouembris mane, hora tertia, facto scrutinio, sex & viginti electorum suffragijs Amadeus, olim Sabaudiæ Dux, tunc verò in solitudine Ripaliæ Gebennensis diœcesis, vitam eremiticam agens Romanus Pontifex in schismate renunciatus est, qui electioni de se factæ assensum præbens, Felix Papa V. appellatus est.

Ex Chronographia Ioannis Naucleri de ijsdem Concilijs, Basileensi scilicet ac Ferrariensi.

EVgenius Florentiâ discedens, Bononiæ circiter annum Domini 1436. Basileense Concilium Ferrariam transtulerat, quòd diceret, ibi conuenturam cum Romanâ Synodo Græcam Ecclesiam. Hac translatione non obstante, Patres Basileæ congregati (vt refert Antoninus) obturauerunt aures suas, non audientes vocem Domini, & authoritate

suæ temerariæ præsumptionis cœperunt Eugenium ad Concilium citare: solicitante ad hoc Philippo Maria duce Mediolani, ægrè Pontificatum illius ferente. Visus enim fuit fauere Venetis. Sigismundus tunc Imp. omnino sub excōmunicatione hoc prohibuerat, cùm schisma nuper præteritum cum maximo labore fuerit ablatum. Cardinalis etiam sanctæ Crucis, Ordinis Carthusiensis (qui à Martino Legatus fuerat in Franciam missus, ad pacem inter Regem, & Burgundiæ Ducem componendam) superuenit ad obuiandum malis, & idem omninò dissuadebat.

De Ferrariensi Concilio idem testatur Hartmannus Schedelius, Medicus Nurenbergensis, in suo Chronico hisce verbis:

Mortuo Sigismundo Imperatore (à quo Basileense Concilium incrementum habuerat) creato Alberto Duce Austriæ, Concilium Ferrariense (Eugenij nomine) Cardinalis S. Crucis inchoauit.

Eadem ijsdem ferè verbis habet Albertus Crantzius in Metropoli lib. 11. cap. 43.

Ex quibus intelligere licet, quantæ fuerit sapientiæ, quantæque authoritatis B. Nicolaus Albergatus: vtpote, qui prudentissimum consilium aptissimamque viam inuenit, ad Basileensem coitionem dissipandam, & Eugenium Pont. Rom. propugnandum, qui alioquin in maximis videbatur angustijs constitutus.

Ex Arnoldo Bostio Carmelita, de Viris Illustribus Ordinis Carthusiani, cap. 22.

NIcolaus Albergatus, Cardinalis sanctæ Crucis, & Bononiensis Ecclesiæ magnus Antistes, toti salutifer orbi, & velut alter Helias pro domo Domini Zelosus, sanctorum cathedram meritis eximijs implere sategit. Vir enim fuit tum celebris, & maximæ sanctimoniæ, *tum etiam sapientiæ singularis, humanarum diuinarumque rerum cognitione præter cæteros ornatus. Hinc Reipublicæ Christianæ, & Diui Petri nauiculæ, dum secundis vteretur ventis, maximo semper ornamento extitit: dum verò aduersis procellarum turbinibus quateretur, adminiculo & subsidio singulari. Qui primæ ætatis tyrocinium vias Domini duras in domo Diui Hieronymi Bononiæ, studiorum matri vicina deuotissimè professus, vita & ordine Carthusiensis continuè permansit; varijs deinde auctus dignitatibus (quas ordinante Deo titulos,*

virtu-

virtutum & gratiarum dotes, quas in eo plantauerat, tractus sanè, & inuitus, imò vim passus & enixissimè reluctans) suscepit. Rigorem itaque religionis semper seruans, non secus ac lumen cœlitus emissum, imitatus est eum indefesse, cuius crucem pro signo gessit. Et vt pretiosissimi sanguinis eius fructum quàm diligentissimè colligeret, innumeris per orbem fidelibus, veluti salubre quoddam affulgẽs rebus humanis sydus, voce viua & epistolarum eruditissimarum instructionibus ad salutem profuit. Cõtinuo studio, perenni cura ac diligentia, semper lingua calamoq́ cœlestem animi sui pulchritudinem penè sensibilem præferente, sapientis Ecclesiæ architecti scitè & doctè adimplens officium. Nusquã igitur potuit delitescere sapientia, nota gregalibus, nota nobilibus, nota principibus, nota regibus summis, notissima deniq́ sæculi sui Pontificibus. Fuit verò vita eius totius sanctitatis exemplum, eloquentiæ stupor, doctrinæ miraculum. Speculum enim sine macula extitit Prælatis omnibus, pater pauperum, inter Dominatores orbis dissidentes pacis reformator, impeditor schismatis, errorum excidium, Christianæq́ Reip. propugnaculum. Omnia retulit ad Deum Opt. Max. quo semper præsente, vidẽte, audiente direxit ac perfecit salutiferos suos cogitatus. Quò tamen minus laudem appetebat & gloriam, eò magis eum sequebantur. Tandẽ verò anno Christi sexto & quadragesimo a post 1400. tam præcipuum omnium virtutum decus, post opera permagnifica, post tantos labores ac sudores, è corpore mortis Senis in Hetruria emigrauit, ex infirmitate calculi. Exenterato autem eo, repertus est lapis grossus ad modum oui in fundo vesicæ, quasi incarnatus. Tota hunc fleuit ciuitas, tota plãxit Italia: cuius voces vbiq́ ferè locorum Angeli latãtes, dæmones contremiscentes, mortales omnes obstupescentes audierunt. Corpus terra suscepit, anima Christo reddita est: cui duro & diuturno martyrio viuentem sui corporis hostiã immolarat. O fortunata mors, quæ naturæ debita, Deo Opt. Max. potissimũ data est. Si quis felices eius actus, alta præconia, dignitates præcellentes, legationesq́ cum plena & ampla potestate celeberrimas (quorum equidem prosequutio neque loci, neque temporis huius est) ad integrum noscere velit, Poggij Florentini, aliorumq́ præstantium virorum compluriũ de vita eius (cuius vtiq́ nulla pars laude vacauit) legat opuscula vbiq́ gentiũ longè lateq́ diffusa. Hoc *vnum duntaxat tamen addidero, in singulare amplissimi atq́ in Deum fragrantissimi Patris præconium, quod nimirum ex eius insigni*

a *An 1443. iuxta verissimas antiquitates.*

fami-

familia, Thomas videlicet Sarzanensis, & AEneas Syluius Senensis, ad Pontificatum Maximum etiam meritissimè prouecti sint. Quorum primus Nicolai quinti, alter verò Pij secundi nomen accepit. O magnum & insignem Cardinalem, ex cuius familiaribus duo Maximi claruêre Pontifices, dignitatis tantæ fastigium summoperè extollentes & adaugentes. Non secus ac sol aureus radios salutares per orbem vniuersum spargentes, suisq́; gestis illustribus eorum, qui clarè vixerunt, Pontificum famam non modò æquantes, sed apprimè superantes, vti b *Bartholomæus Platina libro de Pontificum vitis, testis est locuples.*

b Ab alijs Baptista vocatus.

Ex Chronico Petri Dorlandi Carthusiani, libr. 7. cap. 1.

NIcolaus Albergatus, illustri ortus prosapiâ, cùm esset adolescens positus Bononiæ ad Gymnasia Philosophorum, adeò in liberalibus scientijs emicuit, vt ei in ipsa vniuersitate nullus haberetur secundus. Erat etiam non minùs bonus, quàm doctus: quippe qui lubricum adolescentiæ iter magno semper studio declinarat, pius, sobrius, humilis, timoratus. Hinc pro sua virtute, proq́; scientiæ suæ claritudine, omnibus erat & honori plurimum, & amori. Porrò ille sciens scriptum esse, Iustus iustificetur adhuc; domum D. Hieronymi Ordinis Carthusiẽsis, quæ Bononiæ sita est, mirantibus vniuersis, est ingressus. Cuius cõuersionis initia magnis claruêre virtutibus. Nam sicuti erat cæteris doctior, sublimiorq́;, ita cũctos humilitate, obsequio, mansuetudine præcellebat. Huius erat meditatio accẽsa, oratio indefessa, contemplatio porrecta in supernis. Omnes suam vitam aspernabantur, dum huius pij Patris vitam virtutibus plenam contuerentur. Hinc creuit eius illustris opinio per Bononienses populos; quem suo Præsule defuncto vnanimis votis in Episcopũ elegerunt. Trahitur ergo lucerna ardens & lucens è cella, quasi de suo modio, & super candelabrum ponitur, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Trahitur autem inuitus, & quasi vim passus, ipso plurimùm lachrymante, ac renitente. Sciebat enim alios esse mundi turbines, & aliam silentis cellæ internam requiem, & quietudinẽ. Assumptus nunquã cilicium, nunquam humilem Monachi habitũ permutauit, eisdem semper, vt antè, cibis & potibus vtens. Et cùm sibi esset rigidus & amarus, omnibus tamen humanum, placidum se, ac suauem exhibebat. His laudũ titulis à summo Pontifice est euocatus, & Cardinalis S. Crucis creatus. Hinc factus est toto (vti Arnoldus dicit Bostius) salutifer orbi: quippe

qui,

ꝗ, vt alter Helias, pro domo Dei zelũ acus, dignitatis suæ Cathedrã sublimib. meritis cõdecorauerit. Erat enim vir vbiq; celebris, & ob sanctimoniæ suæ eminentiã inter Cardinales singularis. Inerat illi de supernis affluens sapiẽtia, humanarum diuinarumq; rerum cognitione admodũ illustrata. Hinc Reip. Christianæ & ipsi Petri nauiculæ in prosperis & aduersis ornamento fuit, & subsidio fungebatur etiã sæpè Legati officio ac dignitate, missus à Latere: quod quidem strenuè exequebatur, plenissimo fungẽs potestatis honore. Et vt suis maximis curis dignus haberetur, studijs assiduis incumbebat, crebrò per populos verba Dei sonabat, dictitabat sermones, Epistolas ad diuersos ornatissimas transmittebat, tanquam sapiens Architectus sciẽ docteq; suum implens officium. Has sua sapiẽtia & Regibus, & Principibus, & Magnatibus vbiq; innotuit. cuius vita Sãctitatis exemplum; cuius mores, institutã Ecclesiarũ; cuius eloquẽtia, stupor; cuius doctrina, miraculũ putabatur. Hic tersum virtutis speculum, hic Præsulum & Prælatorum gloria, hic pater pauperũ, refugium miserorũ, dissidentium magnatum pacis cõciliator, schismatis impeditor, errorum excidium Hic Christianæ religionis propugnaculũ: qui quicquid agebat, aut præcipuũ cogitabat, ad Deum Patrem luminũ humilis referebat. Laudes hominum, vt virus pestiferum fugiebat, sed fugientẽ laus illũ & honor omnis insequebantur. Hic pro maiestatis suæ reuerentia Eugenium a Papam, & AEneam Syluium, (qui & Papa Pius post dictus est) alumnos, familiares, ac cõmensales habuit, viros nimirũ & sapientia, & eruditione clarissimos, quos hic Pater ad Pontificatus apicẽ sua potestate promouit. Sed si vis, de hoc nobili Principe maiora cognoscere, lege ipsum AEneam, lege Poggium Florẽtinum, lege Bartholomæum Platinam (qui Pontificum vitas diserto sermone conscripsit) lege Arnoldum Bostiũ Carmelitã; & inuenies, quod huius almi præsulis vita nullâ ex parte laude vacauerit. Tãdem anno Christi sexto & b quadragesimo post 1400. hoc decus hominum, hoc clarum Ecclesiæ iubar, post innumeros labores, post multas patiẽtiæ coronas, in ciuitate Senarũ, ex molestissima calculi afflictione moritur, caducarum opum vacuus, sed plenissimus meritorum. Moritur, non vitam perdens, sed meliorem ac permãsuram recipiens. Exenterato eo, vt balsamo condiretur, inuentus est in fundo vesicæ habere lapidẽ grãdem, instar oui: qui omni ex parte illic carne obuolutus hærebat. Has calculi passiones immanissimas mirâ dum viueret patientiâ tolerabat. Tota hunc Italia virum planxit; pau-

a forsan Nicolaũ V. dicere volebat.

b An. 1443 vt habet certior Chronologica annotatio.

peres verò maximè, & calamitosi; quos muneribus & adminiculis sæpè leuarat. Corpus terra suscepit, animā SS. Angeli cum laudib. exceperūt; quam ad superna euehentes, sanctorum cœtibus inseruerunt.

Ex Petro Sutore de vita Carthusiana, libr. 2. tract. 3. cap. 7. Coloniensis editionis pag. 593.

NIcolaus Albergatus, ex insigni familia ortus, Cardinalis S. Crucis, & Bononiensis Ecclesiæ Præsul: humanarum diuinarumq; a rerū cognitione mirum in modum ornatus, sanctimonia præcipuus, fama percelebris: post primæ ætatis florem mundi oblectamenta deseruit, & vias Domini duras ingressus, Carthusianū ordinem professus est. In quo quidem cùm annos aliquot laudabiliter exegisset, multis dignitatibus (licèt refragrans ac enixissimè reluctans) donatus est. Quas consecutus, diligētissimè studuit pristinum religionis rigorem obseruare, bonumq; Præsulē in omnibus referre, & Reip. Christianæ subsidio adminiculoq; singulari semper esse. Sed & vt sydus vbiq; refulgens omnibus prodesset, multas scribere curauit epistolas eruditissimas, cœlestem animi sui pulchritudinem ac sapiētiam penè diuinam referentes. Tandem post multos felices, præclarosq; actus, post labores sudoresq; varios, post legationes cum plena & ampla potestate celeberrimas, post grauem deniq; calculi morbum (quo ad mortem vsq; fatigatus fuit) rebus excessit humanis. Quo vità defuncto, tota fleuit ciuitas, tota plāxit Italia: de quo meminit multa cum laude Poggius Florentinus, extollit & eum magnificè Bostius, dicens: Nusquam sua potuit delitescere sapientia, nota gregalibus, nota Regibus, summis notissima sæculi sui Pontificibus. Fuit vita eius, Sanctitatis *exemplū: eloquentia, stupor: doctrina miraculum. Speculum itaq; sine macula extitit Prælatis omnibus, pater pauperum, & inter dominatores orbis dissidentes pacis reformator, impeditor schismatis, errorum excidium, Christianæq; Reip. propugnaculum. Omnia retulit ad Deum summum Max. quo tanquam semper præsente, vidente, audiente direxit ac perfecit salutiferos suos cogitatus. Quò tamen minus laudem appetebat & gloriam, eò magis eum sequebantur. Deniq; promeruit duos de sua insigni familia (scilicet Nicolaum V. & Pium II. qui antea AEneas Syluius dicebatur) in summos Pontifices sublimari.*

a deerat rerum.

Ex Carolo Sigonio de Episcopis Bononiensibus, lib. 4. circa initium.

QVarto inde libro exordium dabit praeclarus Nicolai Albergati Episcopatus, cùm omni caritatis pietatisq́; exemplo nobilitatus, tum in varijs ac difficilibus pro patria ac Repub. Christiana negotijs periculisq́; versatus. Is verò à noua Reip. mutatione principium duxit, Anno enim millesimo quadringentesimo sextodecimo Bentiuoli, ac Canetuli, ciues tum in vrbe opibus excellentes, simul ac Ioanni Pontifici abdicato neminem suffectum propter dissidium Cardinalium cognouerunt, prid. Non. Ian. impetum in Palatium, cum parata factione fecerunt, ac legato exacto statū Populi reduxerūt. Itaq; cùm proximo anno Ioannes Episcopus 4. Non. Ian decessisset, populus libertatis memor extēplò animum ad successorem ex sententia sua subrogandū adiecit: ac Fr. Nicolaū Albergatum, Petri Nicolai filium, ciuē Bononiensem, Carthusiaeq́; Priorem, spectatae illa tempestate virtutis, sanctitatisq́; virū hoc modo substituit. Prid. Non. Ian. comitijs creando Episcopo habitis, ex multis selectis vnus ipse omnibus à consilio sexcentorum praelatus est. Idemq́; subinde, quoniam constanter honorem repudiabat, rogatu populi primùm à Praefecto suo probatus, deinde à Clero Bononiensi electus est. Itaq; cōsentientis ciuitatis voluntate tandem euictus, sese 4. a Nonas Iunij consecrari permisit. Atq; eâ re magnâ Populi frequentiâ in aede Carthusiae celebratâ, vrbem solemni pompâ iniuit, ita vt eques vsq; ad S. Stephanū venerit, inde sine calceis ad S. Petrū pedes ꝓcesserit. Huiꝰ egregiè ac laudabiliter facta multa, sed haec maximè illustria. Studio pristinae disciplinae retēto, victui suo parcens, facultates Ecclesiae pauperib. sustinēdis, & praecipuè puellis nubilib. collocādis impertijt. doctos homines, atq; ingenij laude aliqua excellētes, omni benignitatis genere fouit. Carne abstinuit, in culcitra non cubuit, Iudaeos luteū signū, vt à caeteris dignoscerētur, in pectore ferre, & festis dieb. clausas tabernas habere ꝑcepit. Huic porrò Martinus V. post in Concilio Constantiensi Pontifex 3. Id. Nou. declaratus tantū tribuit, vt nō solum Episcopū, sic. n. ab eo postulatū est, primo quoq; tēpore cōfirmarit: sed etiā apud Mutinensem, & Imolēsem Episcopos iusiurandū solēne concipere iusserit, ne sui adeūdi laborē suscipere cogeretur. Postero anno idē in instituto suo ꝑsistēs, vsuras Iudaeorū in Christianos grauiores coërcuit, ludū talariū interdixit: synodo habita

a al. 4. Nonas Iul.

cõstitutiones Bernardi olim Episcopi cõfirmauit. monasteriũ S. Gregorij extra portã S. Vitalis, ad vnũ Priorem & conuersum redactũ, à veterib. Canonicis S. Augustini ad nouos S. Georgij in Alga, Põtificis mãdato traduxit. Sequenti verò, Canonicis S. Mariæ Rhenanæ, & S. Saluatoris, qui ad vnũ Franciscũ Ghiselerium Priorem deuenerant, Canonicos S. Amb. Eugubini, (regularibus illis quidẽ, sed diuersi habitus, & obseruantiæ, à Gregorio XII. probatos,) itidem ex decreto Martini Pont. copulauit; qui nunc S. Saluatoris dicuntur. Interim Martinus Pont. priorem erga Bononienses animum immutauit, & cuius ciuitatis certo tributo se contẽtum fore à principio ostenderat, eius integrum imperium postulauit, ac Nicolao Episcopo oratori ad se à ciuitate Florentiam pro rerũ cõpositione misso, tãtum abfuit, vt quidquam ex ijs, quæ petebantur, concesserit, vt ipsum etiã reuocatũ sacris ciuitati interdicere iusserit. Quo mãdato exhausto Nicolaus, vbi se animos offendisse ciuium sensit, vrbe secessit. Martinus inde cùm per legatũ vrbẽ recipere nequiuisset, exercitu ad eã oppugnãdam immisso, 12. Kal. Aug. ad obsequium reuocauit. Quo facto, Nicolaus III. Id. Sept. Centum, Plebem & Maxumaticum, à populo eorũ tũ potiente, recuperauit. inde anno 1422. nuncius in Franciã Pont. iussu contẽdit, ad conciliandã pacẽ inter Frãciæ Principes inexpiabili inter se odio decertantes. Postero Gabriel Cõdulmerius, qui postea Eugenius IV. Pont. fuit, Martini legatus vrbẽ iniuit, ac graui ciuitatẽ vexari pestilentia cernens, subitò populũ, vt supplicatũ Deo procederet, est hortatus. Sub eos inde dies S. Bernardinus Senẽsis* in vrbẽ venit, is, q monasteria Fr. Minorũ, quos ab antiquas S. Frãcisci seueritate sensim recessisse videbat, ad veterem disciplinã reuocãdam, atq; obseruãdam adduxit. Sordidus erat corporis eius amictus; mira ieiunijs cõtracta macies, asperitatẽ ac rigiditatem vndiq; spirans indoles, ita vt qui eum cernerent, B. ipsũ Franciscum, cuius se imitatorem profitebatur, se videre putarent. Huic igitur benignè excepto Nicolaus auctor fuit, vt in foro more suo concionaretur, & cũ cætera populi vitia reprehenderet, tum maximè aleæ studium, cui tum deditissima erat ciuitas, increparet. Quod ille p gradib. S. Petronij stans, frequenti admodum audiente concione diligentissimè præstitit. Nam inueteratam lusus consuetudinem ita coarguit, vt ab ea damna, probraq; omnia cum manifesta Dei hominumq; iniuria diceret proficisci. Errat enim, inquit, si quis aleatorem vno tantũ se obstringere scelere putat: omnia in se piacula concipit, quem eiusmodi occupatio stu-

* Vide Sur. tom. 3. 20. Maij.

diũve delectat. Etenim vt perniciosam temporis iacturã omittam, cui ab illo exacta demũ ad calculum ratio reposcetur, nõ solùm patrimoniũ proijcit suum, quod ad vitam sustentandam, & senectutem subleuandã & sibi, & posteris, & Christi pauperibus debuit cõseruare: sed etiam inuadit alienum, cùm ciui, ac sæpissimè amico eripit id, quod si boni viri, aut ciuis fungi officio vellet, prõptum custodire, ad duriora illorum tẽpora cõueniret: in victoria profusus & insolens, in offensione adeò vesanus & amens, vt quam iram in se exercere deberet, eam sæpè in vxorem innoxiam & in ipsum diuinum Numen auertat, ac modò Deum & Virginẽ gloriosã impura & petulanti lingua proscindat, modò ea cæcitate animi rapiatur, vt ferro in eorũ imagines sanctissimas inuehatur. Quod flagitiũ ipsi sæpè præsenti inflictâ plagâ, atq; vltimo illato supplicio vindicarũt. Quæ omnia cùm opportuna exemplorum, ac diuinorum oraculorũ auctoritate firmaret, ac magno animi ardore, ac summa pro rei grauitate dicendi copia exaggeraret, tantum profecit, vt multi iusto lusus odio incitati abacos, calculos, tabellas, tesseras, cæteraq; perditæ aleæ instrumenta ad eum deferrent. Quæ cuncta post 4. Non. Maij in foro populo ipso approbãte combusta sunt. Accidit autem, vt faber quidam, qui tabellas lusorias pingere, & familiã ex ea re suam alere instituerat, eo quæstu priuatus ad sanctum virum adierit, & se in extremam necessitatem illo dempto vitæ præsidio perductum iri conquestus sit, cùm se nihil aliud pingere didicisse adiungeret; cui S. Bernardinus respondit: Si nescis aliud pingere, hanc imaginem pinge, nec te omnino pigebit. ac circulo facto solem in eo formauit, atq; in medio nomen IESV *nouis quibusdã literarum formis effinxit, quale nunc etiã sub porticu Boni* IESV *cũ ipsius Beati effigie cernimus. Quod cum ille fecisset, confluentibus ad emendam imaginem ex Bernardini auctoritate plurimis, magnas ex ea re pecunias comparauit. Anno 1426. Nicolaus campanarij fastigium ex ligneo lapideum fecit, & plumbo contexit. Martinus autem virtutem eius iãpridem admirans, cùm Cardinales allegeret, ipsum in eum quoq; numerum retulit, ac Romam ad se venire iusso 3.* Non. Iul. pileum, quẽ obuiam missum in itinere recusarat, repugnãti adhuc atq; inuito imposuit, ac presbyterum Tit. S. Crucis in Hierusalem declarauit: ex quo ille signum Crucis pro insigni gentilitio ferre cœpit. Vnde Franciscus Philelphus ad eum scripsit:* Imitatus es eum, cuius crucem pro signo geris, Christum Opt. Max. *Bononiam inde Septembri mẽse reuersus, atq; in-*

* aliter Sigon. in vit. ipsius c. 10.

genti honore ciuitatis exceptus, post triduum ad pacem inter Senatum Venetum, & Ducem Mediolanensem componendam legatus Ferrariam adijt, atq. ibi vtriusq. partis procuratorib. audiendis operã dedit. Quo facto, vbi se rem ad exitũ perducere non posse vidit, semel iterũq. Venetias ac Mediolanũ, hoc & sequenti anno contendit, atq. ita demũ ex sententia rẽ confecit. Inde Bononiã reuersus pauperes ab onere fabricæ tẽpli S. Petronij liberauit; aulam aquilonarẽ in Episcopio renouauit; Hospitale S. Mariæ Mortis ad forũ refici opere magnificentiore incœptũ, & Deuotorũ S. Hieronymi sodalitatem à 24. pijs iuuenib. institutam probauit. Postero autem anno, cùm Canetuli ciuitatem ab auctoritate Ecclesiæ, pulso Legato, iterum auocarent, illi incommodo maturè occurrere properans, penè in ipso tumultu populari occubuit. Qua re accepta Martinus adeò irã non tenuit, vt ciuitati sacra iterum interdixerit, bellumq. redintegrarit. Magistratus autem ciuitatis Centum & Plebem oppida, bello illi opportuna futura, repetere cupientes, Nicolaum ad se venire, vt abnuentem reddere cogerent, imperarunt. ille verò re prouisa, indignitate periculoq. permotus, vrbe occultè discessit.

Hic interponebatur alius Episcopus Bononiensis, scilicet Bartholomæus Zambeccarius.

Nicolaus autem ad Ecclesiam suã reuersus, postero anno 1430. Legatus à Martino de concordia inter Reges Franciæ, & Angliæ confirmanda perrexit in Angliã: Iacobus verò Insulanus Cardinalis in Frãciam. Eodem anno Martinus liberum vrbis dominatũ deposcens, tertiũ Bononiensib. intulit bellum. Quo ipsi permoti monasteriũ S. Michaelis, licèt optimè ædificatum, ne in potestatem hostiũ perueniret, inflãmauerunt, atq. Oliuetanos intra mœnia receperũt. Seqũti Iacobus legatus ex Francia rediens Mediolani mortem obiuit. Eugenius autem IV. Pont. Martino mortuo subrogat⁹ optatã pacẽ Bononiensib. reddidit, atq. æquis conditionibus vrbẽ recepit. Idem monasteriũ S. Felicis superiorib. bellorum turbinib. dirutum, & monachis vacuũ, Congregationi monachorũ S. Iustinæ Patauinæ, quæ paucis ante annis reformata fuerat, dedit. Sequenti Oliuetani in vrbe parũ cõmodè habitãtes monasteriũ S. Mariæ Misericordiæ ad portãCastellionis impetrauerũt, virginibus Congregationis Cistertiensis, quæ ibi degebant, ad monasterium sanctæ Vrsulæ transportatis, Fantino Dandulo Protonotario Apostolico, vrbis gubernatore rem ex auctoritate Eugenij comprobante. Postero prodigia cæle-

stia plura diuinas minas, vt vulgò rebantur homines, ostentātia, variè ciuitatis pectora perculerūt. Hi fuère mēse Maio sæuissimi terræmotus, quorū impetu plurima ædificia corruerunt. Iunio verò sol vsq; adeò post meridiē obscurat⁹, vt ipsas noctis tenebras adæquaret. Præterea assiduæ & vehemētes pluuiæ, ac fœdæ adeò omnis generis tempestates, vt nō solū instanti messi impedimentū afferrent, sed ipsis etiā segetibus iā maturis exitiū intentarent. Qua de re cùm Episcopus vehementer animo angeretur, cōsensu Antianorū, triduo supplicationes fieri iussit. quibus cū nihil profecisset, 5. alias addidit. quas vbi irritas itē, atq; inanes agnouit, deinde in alios 8. dies indixit. Interim sermo inter Antianos remedia imminenti inopiæ anxiè cōquirentes obortus est, cōsueuisse in eiusmodi periculorū articulis Florentinos tabulā quandā, in qua imago ex ore B. Virginis manu S. Lucæ esset expressa, pferre, ac sæpè opportunū subsidiū retulisse. Tum interfatus ex ijs vnus: Et nos idem, inquit, facilè facere possumus; siquidem alteram eius similem, ab antiquo tempore in monte Guardiæ retinemus. Cui cùm cæteri assensissent, re cum Episcopo cōmunicata, ex communi consilio constitutum est, vt hæc in vrbem omni adhibita religione deportaretur, atq; eius rei officiū Deuotis Hospitalis S. Mariæ Mortis non recusantibus est mandatum. Ita Deuoti 3. Idus Iulias summo mane in collem se receperunt, atq; eam sub vmbella, cum cereis accensis longo instructo agmine detulerunt. Antiani verò, cæteriq; magistratus vnà cum Clero, atque omnibus Religiosorum Ordinibus, ad portam Saragotiæ occurrerunt, atq; apud Virgines S. Matthiæ collocauerunt. Inde per octo dies in pompa ingenti honore gesserunt. Qua re perfecta cùm statim optatæ serenitatis ac tranquillitatis lucem impetrauissent, Deuoti tabulam ad montem eodem ordine reuexerunt. Ita messe ac trituratione latè confecta, cùm ciuitas se ex ingenti periculo euasisse cœlesti eiusmodi beneficio iudicaret, Marcus Episcopus Auenionensis, atque vrbis Gubernator decretum 3. Kalen. Septemb. fecit, vt posthac Deuoti S. Mariæ Mortis deferendæ & referendæ tabulæ potestatem haberent, eamq; dum in vrbe esset, apud se custodirent, & vt tabula relata armario includeretur, ac tribus clauibus mandaretur, quarum vnam Antiani, alteram Virgines S. Matthiæ, tertiam Deuoti ipsi S. Mariæ tenerent. & quoniam 3. Nonas Iulias initium huius deportationis feliciter fuerat factum, vti quotānis in prima Dominica Iul. ea tabula eodem honore, atque eadē religione deueheretur:

ac proximo anno ad basilicã S. Petri solemniter portaretur, atq; ibi Missarum solemnia præsente populo fierent, reliquis inde ad reliquas Ecclesias ordine seruato iretur, ac postridie per deuotos ad mõtem tabula referretur, atq; ibi ad honorem Dei, & salutem populi Bononiensis conseruaretur. quod nunc etiam obseruatur. Atq; eodem anno Nicolaus iterum in Franciã legatus de Principum pace perrexit, eaq; cõfecta reuertit, ac craneum S. Annæ matris B. Virginis ab Henrico Angliæ rege dono acceptum prid. Kal. Dec. Bononiam retulit, atq; ingenti ab vniuersis honore acceptus, Monachis suis Carthusiensibus dono dedit; qui ei oratoriũ S. Annæ in via S. Isaiæ condiderunt, vbi nunc etiã asseruatur. Eugenius autem Pont. integrum vrbis dominatum obtinuit post 7. annos, quãCanetuli à Martino ciuitatem auerterant. Itaq; proximo, Florentiâ; vbi diu Româ pulsus manserat, Bononiam benignè ab omnibus acceptus migrauit, atq; in die Assumptionis Sacra in basilica S. Petronij fecit; astãte inter cæteros Antonio Corrario Bononiensi quondã Episcopo, atq; adhuc Cardinali Bononiæ nominato, ac Monasteriũ S. Proculi Martini Abbatis cõmendatoris interitu vacans, Congregationi Monachorum S. Iustinæ dedit; postero verò monasterium S. Felicis cum oratorio S. Mariæ in monte ipsi monasterio S. Proculi tribuit, ac sequenti iustis Sigismundo Imp. mortuo in basilica S. Petronij persolutis, 6. Kal. Feb. Ferrariã ad Cõcilium abijt, ac Nicolaum Episcopum legatum de pace in Germaniam ad Albertum Cæsarem destinauit. Eodem anno (is fuit 1438.) cùm tetra pestilentiæ lues vrbem incolis exhauriẽs ingentem curam omnibus iniecisset, placuit ad diuinum propitiandũ numẽ, vt ciuitas triduò oratum ad tria templa procederet, atq; iterum imago Deiparæ Virginis, cuius salutarem deportationẽ experti pridem in auertenda pluuia infestißima fuerãt, deferretur; atq; ita re ex cõstituto ordine administrata, ciuitas voti cõpos facta vberrimum alterum pietatis suæ fructum accepit. Eodẽ anno Populus à Præfectis Pontificis malè habitus, pristinũ libertatis statum instaurauit. Sequẽti verò cõperto vicinos principes occultè aduersus se cum Põtifice coniurare Nicolaum Picininũ Philippi Mariæ Ducis Mediolani præfectum, libertatis custodem, atq; vrbis Gubernatorẽ asciuit, qui Vicarium suum Franciscum filium misit: eo anno mense Ianuar. Eugenius Ferraria Florentiã se recepit, atq; ibi Concilium habuit. Itaq; Nicolaus Episcopus ei subscripsit: atq; Ioan. Palæologũ Imp. Constantinopolis, Bononiæ à Concilio redeuntẽ regio apparatu excepit. Florẽtiæ verò

positus

positus Ecclesiã suã, duobus Sacerdotibus, qui maiora sacra concelebrarẽt, adauxit.

Anno Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto VI. idus Decembris nix cœlo manare cœpit, atq; inde quotidie vsq; ad mẽsis exitũ sæuâ præter solitũ furente tempestate, manauit. quare cum ad inusitatã ac fermè prodigiosã altitudinẽ succreuisset, culmina tectorum sub põdere gemẽtia sic oppressit, vt multa sustinere nequiuerint. Præcipue autẽ recẽs tectũ basilicæ S. Petronij pæne totũ cũ magno omniũ dolore procubuit: cui malo vt oportunã cito Eugenius medicinã afferret, edictũ misit, vt qui tribus diebus Pẽtecost. Ecclesiã S. Petronij pijs admotis manibus inuisissent, ij omniũ peccatorũ, ac peregrinationum remissionem haberent. Quod edictum sexto nonas Maij campanis ac tubis præ honore atque lætitia perstrepentibus, pro concione vulgatum est. Eodem Anno nempe Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, Nicolaus Pontificij præfectus ærarij constitutus Senis, quo prosecutus Pontificem fuerat, 7. idus Maij ex calculo perijt. Eugenius vt viuentem hominem magni fecerat sic mortuum eximiè coluit. Nam & calculum eius exemptum pro sacro munere sibi habuit, & iusta ipsi sollemnia soluit, & corpus in Carthusiã transferri Florẽtiæ iussit. Ciuitas autem non magnificis solum exequijs, sed etiam dolore, ac lachrymis quanti illum æstimaret, ostendit. Eiusdem post mortem sanctitatis multa documenta fuerunt: singulare vero illud, quod in somnis Thomæ Sergianensi alumno suo aperuit, atque illum Pontificem futurum prædixit, vt Franciscus Philelphus scripsit in Orat. ad Xystum Pontif. a

a *De hoc loco superius admonui.*

EX ALPHONSI CIACONII PRÆCLARO ILLO VOLVMINE DE VITIS ROMANORVM PONTIFICVM pag. 879. Edit Rom.

F. *Nicolaus Albergatus, Ciuis & Episcopus Bononiensis, ordinis Carthusianorum, Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem; qui humanioribus litteris instructus, quum postea iuri Ciuili strenuè operam nauasset, religionis feruore stimulatus, quum esset vir bonis moribus, & vitæ integritate conspicuus, religionem Carthusianorũ professus, ita in ea, dum vixit, excelluit, &* morum sanctitate *in cæterorum exemplũ refulsit, vt per omnes gradus suæ religionis, & dignitates ascendẽs, Bononiẽsi Ecclesiæ, Clero & populo postulante, dignè præficeretur. Qua dignitate honestatus non*

iam (vt plerique efficere solent) suæ religionis aut habitum perosus, fratrum suorum consortia, aut familiaritates exhorruit, nec quicquam de prioris vitæ austeritate remisit, nec humilitati, aut mansuetudini resignauit, sed eadem homini in conuersatione facilitas, eadem vitæ perfectio, & si fieri potuit, peramplior, atque illustrior fuit. Nihil enim, quod ad religionis (quam esset professus) dignitatem, quod ad mansuetudinem, quodque ad rerum humanarum contemptum attinere videretur, omisit: quin potius eo magis se, vt virtutum omnium exemplar ac formam exhibuit, quoniam non sui ipsius modo, sed vniuersi gregis sibi commissi rationem se nouerat Domino redditurum. Quare & populum moribus optimis instituit, tranquillitati & paci studens, amplissimisq́; eleemosynis sua gratia & virtute fouit, ob quod omnibus carus & gratissimus fuit. Vnde Martinus Quintus audita tanti viri fama & sanctitate ipsum Romam accersiuit; quem Nũcium ad Regis Francorum & Angliæ bello certantes, vt pacem inter eos componeret & oratione sua (qua maximè pollebat) pacaret, misit: quod & feliciter præstitit. Romam reuersus Cardinalis à Martino creatur, à quo legatus iterum fuit ad Venetos, Florentinos, & Ducem Mediolanum, vt eos inter se fœdere vniret. Mortuo autẽ Martino V. à successore eius Eugenio IV. ad diuersos Principes & prouincias pro fidei negotijs missus, omnia fideliter & strenuè gessit. Fuit vir pius & sanctus *& studiosorum amator: ex cuius contubernio & schola duo Romani Pontifices prodière, nempè Nicolaus Quintus, & Pius II. Ad Concilium Basiliense legatus fuit cum plena potestate, vt locus pro futuro Concilio eligeretur, id maximè petentibus Græcis. Præfuit Legatus primæ Sessioni in Concilio Eugeniano Ferrariæ inchoato, & Florentiæ finito, vbi & Græci conuenerunt. A Rege Angliæ sibi dono datum fuit Cranium B. Annæ matris Beatæ Virginis, quod Carthusiensibus donauit. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius fuit, ex calculo obijt Senis in Tuscia; corpus in Carthusianorum Cœnobio tumulatum &c.* Hucusque Ciaconius &c.

Creatus fuit B. Nicolaus in Cardinalem cum alijs XIII. anno salutis M.C.D.XXVI.—IX. Kalend. Iulij, Pontifice Martino V. iam agente in sua sede annum IX. Ita Ciaconius pag. 877. Editionis Rom. qui ipsius obitũ ponit sub Eugenio IV. Põt. Rom. pag. 908. hisce Verbis.

F. *Nicolaus Albergatus Bononiensis, Ordinis Carthusianorum presb.*

Card. tt. S. Crucis in Hierusalem, obijt Senis 7. Id. Maij, anno Domini. 1443. Pōt. 13. (5) 2. Eugenij 4.). *Sepultus ad Carthusianos. &c* Hęc ille; Vbi intellige ipsum sepultū Florentiæ apud Carthusianos.

EX QVODAM ANONYMO SCRIPTORE, QVI AD CIACONIVM QVAEDAM ADIVNXIT, ET S.R.E. Cardinalium Nomenclator inscribitur. Impressus autem est Tolosæ in 4. apud Dominicum de la Case, anno 1614.

Nicolaus Albergatus, Ciuis & Episcopus Bononiensis, ordinis Carthusianorū Cardinalis, ex cuius contubernio & schola Nicolaus 5. & Pius. 2. Pontifices Maximi prodière, Purpuræ accessione ne latū quidem vnguem instituto decedere voluit: quinimo in ieiunijs supra morem frequens, verberum & cilicij (vt carnis contumaciam edomaret) vsum nullo non tempore retinuit, studiaque maiore operâ repetijt, scripsit

1. Recollecta multæ lectionis.
2. De inexcusabili peccatoris nequitia.
3. Orationes ad Venetos, & Philippum Vicecomitem Mediolani Ducem pro pace.
4. Sermones multos.
5. Epistolas eruditissimas, vt habet Petrus Sutor; obijt Senis anno 1443. ibidemque in Ecclesia Carthusianorum sepultus est, cum hoc Epitaphio (Pogio Florentino in eius funere orante.)

Sepulchrum omni laude dignissimi, ac Reuerendissimi Patris Nicolai, tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyteri Cardinalis. Hic natus Bononiæ primum ex Priore Carthusiense (petente populo Bononiense) Episcopus; tum à Martino quinto Pontifice Cardinalis factus, post plurimas susceptas, atque omnium commēdatione peractas legationes, Senis diem suum obijt, ætatis suæ anno 68. vir pijssimis mitissimusq́; vitæ integritate, singularique virtute omnium testimonio cōprobatus.

Carthusiæ me terra tegit, quæ sumpsit alumnum,
Me dedit esse Patrem: natiua Bononia tandem
Me sibi Pastorem tenuit de iure vocatum:
Cardinis Ecclesiæ compulsus pondera sumpsi:
Et crucis in titulo mihi fulsit rubra Tiara;
Mille quater centum denos quater egerat annos,

Tres etiam cyclus ſolaris, dum Nicolaus
Mente petens cœlum ſub ſaxo corpore claudor.

Hæc ille, quiſquis fuerit nominis ſui occultator.

Verumenimuero quemadmodum Ciaconius errauit in loco ſepulturæ, ita & hic. Nam B. Nicolaus obijt quidem Senis; Florentiæ tamen ſepultus eſt apud Carthuſianos; vt ex Sigonio clarum eſt: qui ſepulchralem Inſcriptionem eandem deſcribit. Quæ autem ſcripta hic enumerantur, operæ precium eſſet indagare, diſcutere, ac in lucem proferre. Hic labor Bononienſibus incumbet: qui decus Vrbis ſuę alacres & gaudentes exornare conabuntur. Spes ſanè affulget, hæc ſcripta poſſe adhuc apud illos reperiri, aut in Epiſcopali domo, aut in Cellulis Carthuſianis. Ad iſtam indagationem inſtituendam plurimum exſtimulabit Viri huius authoritas, prudentiaque. Nam (vt mihi perſuadeo) multum energiæ habebūt ſermones iſti, quibus Vir ſanctus duriſsima Principum pectora emolliuit, & ad pacem ineundam inclinauit.

Ex Vizano ſiue Villano quodam, qui Italicé ſcripſit, cuius verba in Latinum ſermonem tranſlata ſic habent.

Et his finitis, inſtabat annus 1443. quo (relictis in terra manifeſtis ſignis Beatitudinis) moritur in ciuitate Senenſi Cardinalis Nicolaus Albergatus, Epiſcopus Bononienſis: qui ob ſuam bonitatem & ſanctimoniam fuit deploratus ab vniuerſo populo Bononienſi, qui eundem ſolenniſsimis exequijs honorauit &c.

Hæc il Vigiano.

SACRÆ IMAGINIS

DEIPARAE VIRGINIS,

QVAE IN MONTE GVARDIAE BONONIAE adiacente,

IN S. LVCÆ OPIFICIS sui Templo asseruatur,

HISTORIA:

ASCANIO PERSIO, AVCTORE.



COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud IOANNEM KINCHIVM sub Monocerote.
ANNO M. D. C. XIX.

BENEVOLO LECTORI.



Inter testes pro sanctitate B. Nicolai Albergati adductos agmen claudebat Ascanius Persius, cuius aliquot solummodo versus ex hac ipsius de Imagine Deiparæ Virginis historiâ ad B. nostrum Nicolaum spectantes, Bononiâ mihi missos hoc loco subiunxeram.

Cùm autem postmodum sub prælo iam sudante hoc opusculo, totam ipsam historiam, bonâ fortunâ nactus fuissem, vidissemq; eam succinctam & perelegantem esse, eaque de B. Nicolao nostro plura, quàm ego accepissem, contineri, Lectoribus rem non ingratam me facturum existimaui, si historiam illam, reiecto italico ac græco idiomate (erat enim Italicè, græcè, ac latinè conscripta) integram darem; præsertim cum in Germaniâ typis nunqam vulgata fuerit, plenaque sit egregijs miraculis ad dictam Deiparæ imaginem patratis, quæ, præcipuè pijs eiusdem B. Virginis cultoribus, haud iniucunda sint futura.

Quâ in re præclarè æmulatus est Ascanius celeberrimos scriptores, qui B. Virginis laudes ac miracula ad posteros transmiserunt; inter quos Ioannes Trithemius collegit duos libros miraculorum de imagine B. V. Mariæ propè Dittelbach in Franconia.

Item alios tres libros de imagine B. V. in Hailbrun VVirtzburgensis diœcesis.

Iustus autem Lipsius ingenio & calamo erudito celebrauit imagines B. Virginis Hallensis, & montis acuti in Brabantiâ, cui ipsam suam pennam (operis sui instrumentum) obtulit, ac dedicauit.

Quid referam Horatium Tortellinum, qui B. V. Lauretanæ plus attulit ormamenti suâ elucubratione, quàm alij auro vel argento?

Sunt etiam qui B. Mariam Montis-serrati suis scriptionibus condecorarunt.

Et sanè quid mirum, quod Christiani, Christi matrem, ac cœlorum reginam laudibus prosequantur, ipsiusque gesta, honoremque quà verbo, quà scripto diuulgare ac propagare studeant, cum & ipsi Saraceni à fide Christi alieni, & Mahometis pseudoprophetæ præstigijs in crassissimos alioquin errores abducti, eam colant ac venerentur?

En igitur causas, ob quas hanc historiam integrè subnectere voluerim: tu eâ optimè, Lector, ad Dei Diuæque Virginis honorem fruere ac vale.

Sacræ

SACRÆ IMAGINIS DEIPARÆ VIRGINIS,
QVAE IN MONTE GVARDIAE ASSERVATVR
HISTORIA.



QVo tempore Orientis Imperium Comnenus Manuel: Occidentale Fridericus cognomento Ahenobarbus obtinebat, vir quidam in Græcia fuit vitæ innocentiâ, ac religione cum primis venerandus: quippe qui, vt diuinum numen sanctius colere, vitamque ab omni noxiæ labe puram exigere posset, cùm in sola, ac deserta secessisset loca; ibi diu austerè admodum, ac duriter vixerat. Hic aliquando Constantinopolim profectus, vbi ipsam inijt vrbem, rectà in fanum Sanctæ Sophiæ tetendit; in quo veneratus Deum, lustrare inde templum oculis, quæque in eo digna visu cernebantur, contemplari cœpit. Ibi inter multas Tabula visebatur, in quâ Imago inerat Virginis Deiparę, in vlnâ puerum gerentis, vmbilico tenus picta. Subtus autem huiuscemodi legebatur inscriptio: *Tabula Imaginis in æde Constantinopolitana.*

TABVLA. HAEC. LVCAE. EVANGELISTAE. MANV. PICTA. IN. FANVM. EIVS. MONTI. GVARDIAE INAEDIFICATVM. FERENDA. IBIQ. SVPRA. ALTARE. LOCATA. SANCTISSIME. COLENDA.

In hac ergò defixis oculis vir solitarius, miráque Imaginis eius reuerentiâ, ac religione ipsius animum subeunte, commotus, eam pronus adorauit: dein litteras legit. Quæ vbi hominem mirâ incenderunt cupiditate cognoscendi, quis nam ille foret locus, in quem transferri Imaginem iubebant, eius fani Sacerdotes de eâ re continuo adit, à quibus ita responsum, se à parentibus accepisse eam Tabulam, summâ semper religione habitam, easque litteras ibi diutissimè fuisse; nec dum tamen, cum de Monte Guardiæ perquisitum sedulo foret, compertum esse quidquam. Tum ille ijs vltrò pollicetur, si sibi Tabulam concredere velint, terrarum se vsque eo peragraturum orbem, donec ad eam ignoratum diem reperiat locum, vbi ip-

ſam deponat. Mirum lane,& vix dignum fide. Sed quid non facile credas euenire poſſe auctore Deo? Impetrat continuo hiſce dictis homo ignotus, ignaruſque loci Tabulam eam, ne notiſsimo quidem, gnaroque loci tam facile committendam. Et ſi, vti gnotus nec ne ille fuerit, haud nobis ſatis conſtat; ſic contra, cognitum fuiſſe ijs, præclarâ vitæ ſanctimoniâ; Græcum præſertim Græcis, longè veroſimilius nonnulli putant. Ergo ferunda illi creditur Tabula, quam in perula, quæ ipſi ſub ala pēdebat, reconditam, diligenterque prius obuolutam, conſalutatis ijs lętus inde auehit. Nō deſunt, qui aſſerant, auctores, Eremitam non è lectis illis literis, at diuino quodam viſo, incitatū, vt ſumptam Tabulā aliò deferret, quorū princeps Carolus Sigonius. Is enim in eo, quod de Epiſcopis Bononiæ conſcripſit, volumine, in Gerardo, hæc ſcripta reliquit:

Poſtero anno (M C L X) inſignis Tabula Bononiam eſt delata; in qua Imago Deiparæ Virginis, D. Lucæ, vt ferebatur, manu erat depicta. Hanc vt fama eſt, ex Templo S. Sophiæ Conſtantinopolitano ſumptam Eremita quidam poſt humeros detulit, cum diuino viſo admonitus, Montem Guardiæ ſedem illi Imagini deſtinatam, diligentius per regiones Italiæ quæreret. Quem cum non longe ab vrbe Bononiæ tribus abeſſe millibus accepiſſet, locum nactus, repoſita Tabula diuturnæ peregrinationi, atque inquiſitioni ſuæ finem impoſuit.

Cæterùm, quando id, quibus nixus fundamentis, tradiderit Sigonius, nos later, ego ijs, quæ priora narrauimus, ſubſcribā, cum de publicis Tabulis, quas inſpexi egomet, optima fide ſint deſcripta. Vt ad ea ipſa redeam, vbi Tabulam vir pius accepit, alias perdiu, atque alias errabundus regiones obijt, locum, percontando, fruſtra inquirens. Tandem feſſus quæritando, ſpe propemodum abiecta inueniundi loci, Romam petere decreuit, vt, ſi neque ibi, quo ex omni orbe concurſus mortalium fieri ſolet, de Monte Guardiæ certi aliquid didiciſſet, Tabulam ibidem in æde Sancti Petri relinqueret; vel (quod magis vt credam, inclinat animus) in Gręciam remeans, vnde illam acceperat, eò referret. Ad vrbem ergo conuertit ille iter. Quo vbi peruenit, dum rectà ad Sancti Petri adoratum ſe confert, ipſum forte vir Bononienſis prætereuntem de fe-

nestra conspicatur. Nomen illi Pascipouero fuit, è nobili prognato genere Pascipouerorum, qui tum in Vrbe Senatoris Romani munere fungebatur. Hic, vbi post humeros Eremitæ nonnihil de perula extantem videt Tabulam, miratus quid illud foret, accersito ad se homine, rem ab eo percontatur. Ille omnia enarrat ordine, quid gestet, vnde, & quo ferat: ex quo Mõte Guardiæ Diuiq; Lucę tẽplũ nominatim memorat, Senator, vbi eũ locũ nominari audit, hæc fieri diuinitus, conijciens, ideoque sibi iniectam cælitus curam, quid ille ferret, obortis gaudio lacrumis, Bono, inquit, lætoq; animo es, Peregrine: nõ te enim ad me, vt video, tam nostra quam diuini vox spiritus vocauit. Quem tu Guardiæ Montem, quod in eo Monte Sanct Lucæ fanum tantopere quæris, neutrum amplius (vtroque nimirum iam nũc abs te inuento) quæres. In agro nostro Bononiensi mons ille, illudq; fanum est, altero haud longius lapide ab vrbe distant. Hæc vbi vir sanctus accepit, cum indagatum tamdiu locum inuentum iam esse, quod ferè desperauerat, ac propius adesse, quàm existimasset, intelligeret, summâ perfusus lętitiâ fuit. ita dignũ eius, quo Senatorẽ affecerat, gaudij fructum continuo cępit. Ergo detractâ sibi ex humeris perâ depromptam inde Imaginẽ ab inuolucris vindicat, ac Senatori contemplandam offert. Quam ille non semel exosculatus, atque intimis sensibus deueneratus, perliberaliter acceptũ Eremitam, quæ consecuta est, nocte apud se retinuit. Cumq; ei nihil quidquam fieret longiùs, quam tanto Patriam munere collocupletari, postridie eius diei iussum Eremitam, quem ei parari mandauerat, equũ conscẽdere, cũ famulo, quem ipsi ducem viæ addidit, cumq; Imagine lætum, atq; alacrem Bononiam mittit. literas ei ad magistratus dat, quibus ipse aduentus eius caussam docet: simul, vt tantum Thesaurum ab eo inuectum, quâ decet, reuerentiâ suscipiant, atque in præfinita à Diuino numine sede collocatum sanctè asseruent, & tanquã maxime Dei Opt. Max. in eam ciuitatem beneuolentię monumẽtum semper colant, adhortatur. vbi Eremita Bononiam venit litteris Magistratibus statim redditis, ac perlectis, dicendi ipsi potestas fit: tum ille, peregrinationem suam omnem, repetito *Venit Bononiam portitor gratus*

altiùs initio,cõmemorat:inde detectam Imaginem in cõſpectum iis dat. Commoti mirum in modum eo ſpectaculo fuêre cunctorum animi; queis vna ſacrum quendam horrorem, miſtamq; lętitiâ reuerentiam incuſsit: Vniuerſamq; extemplo vrbem eius rei peruaſit rumor. Quippè omnium ordinum ciues pictam Tabulam, nõ vt ab homine oblatam,ſed tanquam de cœlo, cernentibus ipſis,delapſam,venerabundi,atq; exultãtes excipiunt.Indictę mox tridui ſupplicationes,quas amplisſimâ pompâ, religione ſummâ obiêre,cęleſte illud donum per vrbem circumlatũ feſto cantu, ac pſalmate cõcelebrãtes. Tertio in veſperum inclinante die frequentiſsimus populus, perpetratis ſupplicationibus,Tabulam vſque ad montem Guardiæ proſequutus eſt.Quam in templo,quod in ipſo montis cacumine Sancti Lucæ titulo poſitum extat,ſupra Aram, vt ſcripto monebantur, ritè collocarunt; Eremitæ, quem ſingulari humanitate publicè, & priuatim exceperant, ſi hic quod ſupererat vitæ traducere vellet, vbi haud ipſe minus, quàm in Græcia, ſi ita videretur, ſolitudinem colere; atq; ipſam etiã accolere Imaginem poſſet,in eodem Monte domum,qualẽ optaſſet ſibi, in ædificaturos polliciti: At ille, cũ iis egiſſet grates,re, quã ſanctè ſuſceperat,perfectâ familiarẽ ſuum Græcię ſeceſſum, fortaſsè eodem diuinitus vocatus,repetiuit. Ipſi curã Imaginis mulieri ciui,quæ Angelica vocabatur, eundem hunc cum ſociis mulieribus,religionis ſtudio,incolenti locũ permiſerunt.

Guardiæ Mons vnde vocetur.

Mons ipſe,qui ab Vrbe paſſuum millia,nonnullis auctoribus tria,re tamen vera haud plura duobus,in meridiem, occaſumque abeſt,inter primos Apennini Aquilonares ſitus, nec perinde obliquo tramite;nec longo admodum aſcendentibus ad cacumen fit peruius:flumenque alicubi radices eius tantum non alluit Rhenus. Guardiæ nomen inde traxit,quod,cũ quotidianis fere præliis Bononienſes cum Mutinenſibus contenderẽt de finibus;atq; hi, viribus impares,Parmẽſibus,Regienſibuſq; ad ſocietatẽ belli adſcitis,in agrũ Bononiẽſem excurſiones facerẽt, ſtatuit Senatus, Populuſq; Bononienſis, ne hoſtis imparatos,imprudẽteſq; adoriretur, in eo Mõte habendas excubias;quas Itali *Guardias* appellamus; vt aduentus eius longe

proſpici

prospici,& maturè ciuitati ad ipsũ propulsandũ nũciari posset. Ex eo mõs acceptũ nomẽ postea retinuit. Ita vt excubiæ illę custodiæq; vrbis imago ac typus fuisse videātur veræ illius custodiæ, quæ in eodẽ locata Mõte vrbẽ eandem à quocunq; hoste, quin & à quocũq; malo seruatura foret. Sicuti autem Mons ipse primus omnium circa montium, quod alij obseruarunt, à religiosis coli cæpit; sic non multò ante allatam illuc Imaginẽ S. Lucæ fanum in summo ipsius iugo cõstructum liquet: Vt nõ mirum sit, si, cum tot ante sęcula in hunc locum transferendā eam scriptæ, vti dictum, literæ præcepissent, è Constantinopolitanâ tamen S. Sophiæ Basilicâ tantò post diuino est ablata nutu; si quidem nec fuerat prius ad excipiẽdam parata sedes. Anno enim à Christo nato millesimo octogesimo septimo (vt rẽ supra repetam) Bononiensis puella, nomine Angela, in Montem hunc, ad sanctiorem vitam à Deo vocata, paternæ domus commodis, vrbanisque posthabitis voluptatum illecebris, clam parentibus commigrauit: quam vbi dies complures genitor eius anxiè quæsisset, hic tandem in tugurio solam, quod sibi ipsamet excitârat, submissis genibus, manibusque in cœlum sublatis Deo supplicantem deprehendit. Multâque hanc prece, & lacrumis frustra in vrbem è solitudine retrahere conatus, inuentam eiusdem fere ætatis, atque eodem incensam pietatis studio mulierem ex vrbe vicissim in solitudinem abducit, atque ipsi adiungit sociam, humilemque vtrique casam ad habitandum, & paruam ad Dei cultum ædiculam struit. Hinc Angelæ ipsi Eremitidis nomen vulgo factum. Cumque religionis earum fama indies percrebresceret, hac impulsi Canonici Regulares Sanctæ Mariæ Rhenanæ, quorũ in ære mons erat, vltro ipsũ ijs, ac cæteris, quæ per successionẽ eas excepturæ forẽt, elargiũtur. Inde Angela ad nouas extruendas ædes animũ adiunxit, cùm & aliæ postmodum ad conuictum eius se cõtulissent: in queis & Angelica, de qua supra iniecta mẽtio. Hęc, cũ Angelā nõ magis nomine, quā factis, & vitę sanctimoniā imitata videretur, vbi illa naturę cõcessit, à socijs demortuæ subiecta, curā earũ suscepit. Quę postquā grādiori tẽplo, & ampliori cõtinentiũ ædiũ extructioni, quatenus

Angela V. Bononiens. eremiticam vitam ducit in monte Guardia.

ſcilicet haud ſatis ampla ferebat area, fundamenta iecisset, à Canonicis Regularibus, quorum decessores locum Angelæ dono dederant, factum illud in controuersiam vocantibus, inhibita, summum Pontificem ipsamet adiisse fertur, & ab eo, re enarratâ, ius suum, hoc est, donationis eius (loco sibi, post peroratam vtrimque caussam adiudicato) cõfirmationem impetrasse: nec multo post (anno scilicet millesimo cẽtesimo quinquagesimo, circave id tempus) cęptam ædificationem absoluisse. Fanum porrò ipsum à principio S. Lucæ dicatum, eidem ad annum millesimum centesimum sexagesimum sacrũ permansit. Quo quidem anno, perlatâ in id Imagine, & Angelicæ concredita, S. Marię montis Guardię tutelare nomen accepit; eiusque deinceps natalis in eo dies, qui Septembris octauus est (eâ fortè de caussâ, quod illuc pictam Tabulam per id tempus Eremita intulisset) celebratus fuit: & si hodieque Sancti Lucę Templum vocitatur, ibiq; dies illi sacer, qui Octobris duodeuigesimus, agi solet quotannis, non amplius Deiparæ natalis, cum enim famulus Virginum Sacram ipsam ædem accolentium, fructus eius loci, custodiæ ipsius, & curæ mandatos, Septembri iam mense maturos, à non nullis, qui eo per occasionem festi illius diei, atque eius celebritatis profecti erant, illos diripientibus, mordicus tueretur, in rixâ interemptus dicitur. Inde ad declinanda eiusmodi in posterum mala, vetus ipsi fano & nomen, & sacrum restitutum fertur. Templi ergo huius erectio illatam Tabulam pauculis annis antecessit. Virginum autem ipsarum, quę in Mõte degebant (vt & hoc dicatur) aucto inde numero, nouum iis domicilium proximè vrbem ad Fossam Circulam (quem nunc locum mœnia, prolato Boniniæ pomœrio, occupant) attributum. Inde rursus intra vrbem, quoniam foris agere ob latrocinia, Barbarorumq; in Italiâ populationes haud tutò licebat, receptæ, ad ædem Sancti Matthiæ, positis sedibus, perpetuò mansêre. Vnde è corpore ipsarum in montanum cœnobium pauculæ ad custodiã, cultumq; sacræ Imaginis mitti solitæ, exacto ibi biẽnio, aliis in locum per vices succedentibus, relinquunt. Proinde Imago ipsa cùm defertur in vrbem (quibus de causis, quo id tempore fieri moris sit, postea innotescet) primo die in vrbico earum templo de-

plo deponitur: tribus enim ſequentibus in æde ſacrâ noſocomij S. Mariç Mortis poſt matutinas ipſius circumuectiones cuſtoditur.

SACRÆ IMAGINIS DESCRIPTIO.

CEterùm à propoſita re alienum haud erit, Sanctæ huius picturā Imaginis, quam noſtris ipſi oculis accuratè cōtemplati ſumus, ita repræſentare verbis, vt ferme legentium aſpectui ſubijci videatur; & ſi minimè nos latet, hac operâ mortalium plerumque curioſitati potiùs, quam religioni ſatisfactum iri, humani ſcilicet vitio ingenij, rerum ſtudio, quantumuis grauium, ad vana propenſiùs abutentis. Tabula igitur ipſa, in quâ picta Imago eſt, duûm in latitudinem palmorum, veterum ſcilicet Romanorum; ac digitorum ferè quinque; in longitudinem verò trium, digitorum circiter quatuor, protenditur. Hæc ita ætatem tulit, vt quantum quidem patet oculis, vix dū ſenſerit cariem, ſuæ ne vi naturæ, an peculiari potiùs eius, qui ſupra naturam omnem eſt, numine, incertum mihi, cui genus eius ligni ignoratur. Damna etiam (ab æuone, an ab hominibus, an vtrinque veriùs?) in colore puſilla ſunt. Quippe id credimus, quod credi procliuius, tot ætatum crebrò aut piè deoſculantium, aut aliquid contrahendæ religionis ergò, admouentium appulſu, vnam, aut alteram, quam videmus, in pictura, labeculam non aliunde factam. alioqui pigmenta ipſa (quæ aut ex ouo, aut ex glutino illita videntur) tot centuriis annorum, fermè vt recentia ſeruantur. Eâ in Tabulâ cum matre, non quidem ad pedes vſque expicta, ſed vt initio dictum, ven tre tenus, puer eſt Deus homo: quem illa in ſinu ad ſiniſtram fouet, caput & ipſa eodem leuiter inclinans. Facies non puellæ, ſed maioris natu mulieris, atque adeo ſeneſcentis, neque id temerè. Si quidem poſt Reſurrectionem, atque in cœlum cōmigrationem filij excepiſſe eam Lucas penicillo videtur, Matre videlicet, haud incertâ amplius apud noſtros diuinitate filij nobilitari cœptâ, atque vt haud dubiè habitâ Deiparâ, ita etiam viſendâ maximè: & vbi viſendæ ipſius nō eſſet copia, ſubeunte animum Imaginis ſaltem eius deſiderio. At pone ab eo

pictam ante excessum Filij, cum scilicet discipulus huius ille foret (factum enim ante id tempus ratio nulla suadet) Certè nisi discipulus Iesu prius fuit Lucas, quàm se ille magistrum profiteretur, nec professus est ante vnum ac trigesimum ætatis suæ annum, quo primum Euangelij promulgationem occepit, neque ille ergo ante id tempus Iesu Matrem effinxerit: tum autem esse eam non potuisse quadraginta quinque minorem annis, facilè tempora supputanti liquet. Falluntur igitur vulgo, dum natu minorem existimant ex eo, quia in manibus eius infans est Filius. id enim non tam ad historiæ fidem, quam ad iudicium pingentis, esse factum, licet conijcere; qui, vt ex amplexu nati agnosceretur Mater, in sinu longæuæ puerum collocauit Iesu, & si nec tum amplius puerum, nec fortasè in terris commorantem. Quem vero latet Pictorum in hoc genere licentia? Ita, quod inerat genuinæ venustatis in vultu adolescentulæ, id non solùm sanctitate vitæ, hoc genus bona deterente, verũ etiã grauitate maturioris æui, quasi victũ succũbẽs (quod scitè expresisse videtur Pictor) quandam ei affert in sui victoriâ dignitatem, vt venerabiliorem efficiat. Collum anteriùs candido à pingente obtectum velo, nulla sui parte nudum apparet. Manus quoque ac vestem quo minùs inspicere liceat argentea prohibet multis ab hinc annis imposita lamina, quâ, præter faciẽ Matris, ac faciem nati, quidquid in Tabula pictũ inest, operitur. Eas olim qui vidêre, oblongas testantur esse, vt & flauum capillum, qui nunc sub lamina ipsa latet. Facies à frõte summâ ad mentum imum nouem ferè digitos: latitudo eius vbi maxima, sex tantum patet. Colorem, habitumque oris, lineamentaque non aliis, quam Epiphanij verbis à Nicephoro relatis, quibus ille formam expresit viuentis, explicare queam aptiùs, adeò hæc conueniunt: vt illum hãc habuisse ante oculos Tabulam, in describendã, dixeris. *Maria* (inquit) *colore fuit triticum referente: capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, ac decenter nigra. Nasus longior: Labia florida: Facies nõ rotunda, aut acuta, sed aliquãto lõgior. Manus simul, ac digiti longiores.* Hæc quidẽ ad vnguẽ, expressa õnia picta nobis Tabula exhibet. Nasus porrò ipse

Epiph. Niceph. l. 2 cap. 23.

non so-

non solũ longus, verũ etiã nõnihil ad aquilinũ accedẽs. Frons quoq; magnitudine in partẽ neutrã peccante, sed modicè ampla, ac decens. Oculi non demissi, nec semiclausi, quales in huiusmodi iconum plerisque cernimus: sed satis patentes, ac rectà obtuentes. Pictores Imaginem hanc plures scimus imitari conatos: Vnus tamen (quod sciam ipse) omnium optimè eã assequutus pictura videtur, Ludouicus Carracius, Augustini, Annibalisque Carraciorum patruelis; quos tria eius artis clarissima lumina haud falso voces. Pueruli faciem, quia iconicam non putamus, ideo nec describere operæ precium ducimus. Litteræ à nobis initio commemoratæ, propter argenteam illam, cuius pauló antè meminimus, laminam nullæ videntur: nec quâ lingua exaratæ, nobis liquet. Sed cũ diuinitus aut scriptas, aut scribenti vel dictatas, vel inspiratas liceat credere, id ipsum de iis suspicari aliquos subit, quod de Apostolorum loquelâ in eorum actis idem Lucas scriptũ reliquit; nimirum illos, statim atq; afflati fuissent Spiritu Sancto, ita locutos, vt ab omnibus, quantumuis linguâ diuersis intelligerẽtur. Haud secus enim hi fortasse characteres Hebraicè primũ Hebræis, dum Tabula in Palestina fuit (si modo longæuos adeo putemus) idem postea Græcis Græcè, dum eam Græcia habuit, nunc Latinis Latinè & leguntur, & intelliguntur. Scriptum tamẽ reperio, partẽ quidẽ litterarum, eã scilicet, quæ artificis nomẽ indicaret, in Tabula ipsa; at quæ locũ Tabulæ destinatum, subtus, aut certè prope eã in pariete, vnde ablata, & Eremitę tradita est, inscriptã fuisse. Illud ergo cõstat inter omnes, Imaginẽ hãc, Sancti Lucæ esse opus; vt & ipsum vnà Medicũ, Pictoremque extitisse, germanosque vultus Christi Iesu, & Beatissimæ Matris eius, Petri item, Pauliq; Apostolorum accuratè pictura [a] retulisse. Nicephorus [b] porro à Pulcheriâ Augustâ in templo Τῶν ὁδηγῶν, id est viæ ducum, ab eâdem Cõstantinopoli erecto, Antiochiâ missam Deiparæ Imaginem dedicatam fuisse est auctor, quam Lucas Euãgelista suâ ipse manu depinxisset, illâ adhuc viuente: quæ & Tabulam ipsam vidisset, gratiamque illi (vt verbis eius vtar) formæ suæ immisisset. An autem nostra hæc illa sit, cuius meminit Nicephorus,

a *Id testatur Nicephorus lib. 2. cap. 45.*
b *Niceph. l. 14. cap. 4. Item lib. 15 cap. 14.*

an alia quidem, manu tamen eâdem (nam plures fecisse dicitur Lucas) hîc non disputo. Rem integram aliis relinquo.

Imago quidem ipsa in penetralibus Templi, edito parietis posita loco; ita, vt Arę eius principi, à quâ paries ipse perāgustâ intercapedine seiungitur, impendeat, scalis vtrinque lapideis aditur: Ligneoque pereleganti, atque egregiè picto armario, siue, vt vocant, Tabernaculo, conclusa, reliquiis eam ambientibus Sanctorum compluribus, varioq; ornatu decorata, religione maximâ custoditur, haud minore ostenditur, pluriū tutelæ clauium commendata.

Mos deportandi Imaginem.

Ad Vrbem quotannis ob solennes trium dierum supplicationes, quas Rogationes appellamus, deportatur. Ibiq; Cleri ceterorumque ferè Ciuitatis Sacrorum ordinum, Deuotorum item (videlicet laicorum sodalium, qui in supplicationibus sub propriis instructi vexillis ingrediuntur) longis agminibus, nec non Artium, quæ in vrbe exercentur, collegiis spectabili pompâ præeuntibus, Magistratibus subsequentibus, reliqua comitante Ciuitate, per tres eos dies matutinis horis ad certa delubra ferri solet. Exportatur prætereà, atque in vrbem defertur, noxiâ impensè frugibus, humanis ve corporibus cœli intemperie, grandi ve alio præsente, aut imminente malo sanctiores populo comprecationes indicente.

Quamplurimis ac prope innumeris miraculis fulget. Ea quippe votiuis oppleti parietes tabellis, cereisque & argenteis, atque aureis etiam donarijs affatim indicant: quæ vix illi capiunt, & si tam multæ desiderātur tabellæ (vt cetera taceam Anathemata) quæ in transitu [a] Borboniano, vastante omnia eius exercitu à Germanis iconomachis refixæ, atque igni absūptæ magna Templum ex parte denudarunt. Qua iactura priorum ferè omnium eius Imaginis miraculorum intermortua memoria est.

a Anno Domini 1528. Ita Surius in commentario.

Summę eius Templi religioni satis illud argumēto sit, quod in solo situm loco, nec vrbi propinquo admodum, quo etiam cliuosa cōtenditur via, vt memoratū, nihilo tamen ferè seciùs, quam si in media sit vrbe, adorantium in eo quotidie, ac sacrificantium, aut aliquid piè agentium (qui vndique confluunt)

concur-

concursu frequentatur. A summis verò pontificibus, aliisque Ecclesiæ Præsidibus vnicuique eum locum piè inuisenti liberales peccatorum indulgentiæ concessæ fuerunt.

Summa huic alioqui diligentia Fratres Dominicani, quotidie in eo sacra celebrantes inseruiunt, quorum ipsę sub cura S. Matthiæ Virgines: quippe & ipsæ habitu, ac disciplina Dominicanæ. Etsi enim Angela illa, quæ (vt dictum) præ solitudine Montis vrbem contempsit, atq; hanc Virginum sodalitatem instituit, Eremitico, qualem ipsa gestabat, habitu induit suas: is tamen cum habitu deinde Canonicorum Regularium: hic tandem cum Dominicano, quo hodieque vtuntur, anno scilicet salutis millesimo ducentesimo octogesimo commutatus fuit.

SANCTÆ IMAGINIS. MIRACVLA.

ENarranda iam nobis gloriosissimæ huius Imaginis Miracula supersunt. Cùm autem, quotcunque licuerit, colligere, aut eorum etiam pleraque explicare longum nimium sit, pauca sat fuerit perscribere, quot scilicet satis fore lecturis ad verũ de hac Imagine sensum aut inducendũ eorũ animis, aut confirmandum videantur. Neque verò quidquam, aut ex vano haustum aut leui nixum testimonio, sed certissima omnia, ac ritè contestata, & ea quidem quam breuissimè referemus. Quoniam autem miracula hæc ad duo fermè capita rediguntur: quædam enim sunt quę Imago ipsa (id est, in Imagine Deus Opt. Max. miraculorum solus reapse opifex) suæ potissimum tuendæ dignationis: alia verò, quæ ferendâ laborantibus ope, ac mortalibus quauis aliâ iuuandis ratione perpetrauit: nos à priori capite exordientes, principiò illud, quod huc spectet, admonemus, scriptis scilicet in tabulâ, aut iuxta eã, litteris, quas initio protulimus, duo præcipi; Alterũ, vt Tabula ipsa in Monte Guardiæ ferretur; Alterum, vt foret ibi sanctissimè colenda. Cum ergo extra hunc Montem frustra illi sedem quæri: & in qua sit, haberi, adirique non nisi piè, sancteque licere miracul s

Duplicis generis miracula.

compluribus declaratum extet, nos hic ex ijs pauca omnium prima enarrabimus.

Primi generis miraculum I. de Raptoribus.

Cũ enim Imago ipsa Miraculis inclarescere cœpisset, eaque propter ad se plurimos non indigenas modò, verum & è proximis exteros, longinquisque regionibus exciuisset, certatim votiua propter latam sibi pręsentem opem, aut quouis nomine alio comportantes dona, impulit mercatores quosdam malorum materies ingentium Auaritia de imagine hac turpis inire consilia lucri: quæ, vt nullum auctoribus speratum quæstum, sed grandem potius infamiam: sic contra summam imagini ipsi peperêre gloriam. Surripere hanc illi, & Venetias aduectam Reipublicæ Venetæ magnis commutandam præmijs tradere constituunt: Quasi vero quæ tantum fuerat maris, ac terrarum emensa, vt sedẽ sibi hic in longinquo figeret, in eandem redire abrepta è proximo neglectura foret. Conscendunt igitur Montem, & fanum ingressi, tanquam voti rei, totum ibi diem per speciem supplicantium traducunt, &, quasi piis ipsorum comprecationibus dies non suppeteret, rogant, vt sibi illic pernoctare detur. A Sacris virginibus, quæ tum ibi degebãt, facilè eos, vt ceteros item homines, è suo ipsarum animo, atq; ingenio fingentibus, haud ægrè impetrant. Ergo vbi illæ cubitum iuerunt, nocte intempestâ inuadunt hi in armarium, in quo tabula recondebatur. Sublatâq; inde Imagine verâ subdititiam Beatę Virginis effigiem, quam ipsi attulerant, subijciũt, Venetiasq. petunt. Persensère cum primâ luce id Virgines facinus. Igitur mœrentes, inopesq. consilij ad preces, indicto sibi tridui ieiunio, confugiunt, diuinum numẽ nõ sine gemitu, ac magnâ lacrumarũm vi obsecrãtes, vt thesaurum ipsis restitui suum velit. Mercatores ipsi tertiâ à discessu nocte, cum proxime Venetiis abessent, inusitato odore in, quo vehebantur, nauigio afflati, vnde nam ille fragret, admirantes exquirunt. Loculos tandem surreptæ Imaginis adeũt, si fortè inde manet, eosque incredibilẽ fũdẽtes suauissimi, cælestisq; odoris vim, ac vacãtes, relicto ibi tãtũ Imaginis, quę desiderabatur, inuolucro, deprehẽdũt. Stupor inde, atq; animi consternatio consequuta diu mutos, & elingues eos habuit. Cõiectura deinde rem

asse-

assequuti, repetiuisse scilicet prodiosè locum suum Imaginē, vno omnes accusantes ore, atque execrantes quod item vno omnes animo designârant, facti penitentiâ corripiuntur. Et quos infamia sacrilegij fugare lōgius debuerat, eos magnitudo miraculi, pollicita flagitij impunitatem, reuocat ad Guardię Montem. Ibi Virginibus rem enarrant; eas orant, ignoscant sibi peccatum: supplicesq; & procumbentes humi, veniam, ac pacem à læso numine exposcunt. Illę verò eodem die, nondum consciæ miraculi, metum tamen, mæroremque in spem, lætitiamq. conuerterant, mox in armarium conscenderant, & remigrasse veram Imaginem, subditiuâ inde exturbatâ (quę hodieq; de templi pariete in propatulo suspensa, monumentum eius facinoris conspicitur) summâ cum animi voluptate compererant.

Hæc eadem quanta haberi, atque inuisi religione velit, nec semel nec adeo obscuris declarauit exemplis.

Anno enim Christi Dei millesimo quingentesimo decimo quinto Frater quidam Dominicanus (cuius sibi haud ignoti, nomen consulto Leander Albertus, qui hæc scripsit, silentio premit) cum à Sacris custodibus foret præmonitus, quanta hæc asseruari veneratione, atque adiri soleret, vt pote & miraculis, & opifice ipso Sancto Luca nobilis, ipse contra, eleuando rem, ac subridendo, se non multum tam multis, tam miris, quæ de eâ prædicabantur, habere fidei ostendere. Clauibusque allatis cùm eam curiositate potiús, quàm religione ductus, inspicere properaret: vix dum ijs seræ insertis, pauore quodam, ac tremore correptus, offusa oculis caligine, vsurā se eorū omnē amisisse, meritasq; dare pœnas existimauit, quod rem sanctissimam haudquaquā, vti par erat, sanctè adijsse, ac magni fecisse visus foret. Ergo statim resipiscens, cuius se affinem agnouit culpæ, eam vltro accusando, vt condonaretur sibi, ademptum que lumen restitueretur, effusis largiter lacrumis impetrauit. Vniusq'. tātum horæ interuallo cæcus fuit. Et vt primum optatissima frui luce datum, quâ maxima potuit religione Imaginē cōtemplatus, atque actis Deo gratijs, ad Virgines cōuersus, multas quidē se vidisse Imagines Gloriosissimę Dei parētis mi- *1. Miraculum de Irrisore.*

raculis illustres, nullā cum hac tamen oris maiestate conferēdam affirmauit.

3. Miraculū de ficto sacerdote.

Anno autem eiusdem seculi trigesimo quinto vir quidam ingressus templum id, sibi clauim orat armarij huiusce Imaginis, vt eam, quam se religiosissimè venerari profitebatur, inspicere posset. Cui responsum neque fas, neque morem esse à profanis hominibus Sacrum eius Imaginis Tabernaculum adaperiri: At ille continuò se esse Sacerdotem assimulat. neq; verò eum falsi aut vultus, aut ornatus corporis coarguebat. Igitur instando euicit, vt sibi afferretur clauis. Quam dum seræ admouet, subitā perculsus vi, atque obstupefactus humi pronus concidit. Vnde ægrè alleuatus, vbi dolum euentus prodidit, grauiter eius temeritate, atque audaciâ offensis ijs, qui forte aderant, vehementer confusus animo cum comite, quicum vna venerat, re infectâ protinus abscessit.

4 Miraculū de meretricibus

Anno eiusdem seculi octogesimo octauo duæ mulieres, quæstum corpore Bononiæ facientes, quarum altera inter sui ordinis primarias, collectâ sibi multorum gratia, opibusque florebat, templo adito conueniunt custodes, Imaginemqe, uvt sibi commonstrent, exorant. Aeditua ipsa ad patefaciendam eam profecta, clauiq; seræ indita, diu frustra luctata est, vt eius vertigine pessulū propelleret. Ad extremū socias aduocat, si id illæ perficere possint. Quod cū neq; iis succederet, meretrices, frustrato euentu, inde decedunt. His digressis, cùm virgines de re inusitatâ, ac noua conquiescere non possent, armarium repetunt, atque id ipsum denuo pertentant. Statim id infixa claui resignatur. Inde exorta suspicio, mulierum illarum culpâ cōtumacē serā fuisse. quę fortè impudicitiæ labe coinquinatæ, huiusce intuitu Imaginis indignæ forent. Paucis post hæc diebus elapsis ad templū reuertitur nobilis illa meretrix, atque appellatis Virginibus, quæ sua illuc vsq; fuisset vitæ conditio, ingenue fatetur. hinc, ne mirentur, ait, si inanem operam, dum sibi ostendere Imaginem contenderent, diebus superioribus sumpsissent. Grauari enim purissimæ Virginis simulachrum se se impuræ fœminæ conspiciundum offerre. Ex eo itaque conscientiæ stimulis haud secus atque œstro percitam, cùm tot ad-

missa ab se flagitia, toties diuinum offensum numen dies, noctesq; versaret animo, decreuisse, ad id sibi æternâ pace côciliãdum, humanis se rebus abdicantem, turpissima lustra, ganeumque cum honestissimis Conuersarum mulierum claustris cômutare; vt paulò post factum. Maximas igitur se gratias agere Virgini Deiparæ, quòd maximum ipsi, negato suæ Imaginis adspectu, beneficium dedisset, ex eâ re scilicet ad frugem correctæ.

Duæ item aliç mulieres haud longo interiecto tempore huc conscenderunt, totumque ferè, cum sacris Virginibus colloquentes, traduxêre diem, ab iis acceptæ perhumaniter, cùm se patricias facerent: & quidem tales eas esse, rerum ignaris liberalis earum forma, & magnifica vestis auro distincta, gemmisq; facilè persuaderet. Cumque præcipitans ad occasum iam dies maturandum discessum moneret, rogant illæ Virgines, vt vnum, alterumve elargiantur sibi ex ijs, qui Sacram Imaginem exornabant, flosculis. Se enim religionis ergô eos domũ ferre, & habere velle dicunt. Non est negatum. At dum vna è virginibus flosculum è Sacra reuellit Tabula, mutato confestim cœli statu, quod sudum, vt cum maximè fuerat, clarissimus dies repentino nubium concursu tenebricosissimarum in noctem vertit caliginosissimam: additoque crebro, & perpetuo ferè tonitru, ac fulgure postremum fere mortalibus rebus impendere exitium; templum quoque ipsum valido non semel succussu agitatum præsentem comminari ruinam videbatur. Ex quo Virgines enarrati superius exempli recenti ad huc memoria, ratæ, quod res erat, impudicas eas, & quæstuarias esse fęminas, quas tantopere Imago ipsa auersatur: veritæ etiam ne flosculis illis ad profana, quin & ad veneficia vti vellent, quod facere improbis quibusdam mulierculis nulla est religio, nimirum vt sacris, ac Deo dicatis rebus eo modo abutantur; subiratæ eas inde emiserunt. Emissis, pristinam in faciem omnia redierunt. Porró, quo magis mira hæc censeas, tantum procellç nonnisi iis, quæ intra fanum erant, coortum traditur. Non solum enim rustici accolæ negarunt eo die se vel nubeculam in cœlo vidisse, sed & contubernales virgines, quæ à templo abe- 5. Miraculũ simile.

rant, domi seruantes, liquido serenum sibi eodem die illuxisse perpetuo cœlum asseuerabant.

Annumeretur & superioribus miraculum, quod sequitur, vt & ipsum (ni fallor) ad hoc idem caput referendum.

6. Miraculũ de Vsurpatoribus temerarijs.

Anno Christi millesimo quingentesimo septimo cùm Bononiensis Reip. moderatores huiusce possessionem, ac procurationem Imaginis ad se vnos pertinere censuissent, ea fortasse de caussâ, quod ab initio Pascipouerus eam non nisi ciuitatis Rectoribus scriptis litteris commendasset: atque vnam armarij, in qua illa asseruatur, clauim ipsi, alteram custodes eius in Monte Virgines, tertiam Deuoti Hospitalis Sãctę Marię Mortis, haberent, primum omnium obserandi, ac reserandi eius potestatem ad se omnem traducere decreuerunt. Missis eo igitur, qui nouas ob id seras armario Imaginis infigerent, cúm Virgines ipsæ quiritantes, eâq; se indignas esse iniuriâ clamitantes, nihil quidquam proficerent, ad inuocandam sibi nunquam frustra vocatam Sanctæ Imaginis opem sine morâ conuertuntur: eamq. obsecrant, vt sua ipsarum, atque adeo sua ipsius tueri iura velit. miraq. confestim eorum, qui missi illuc à magistratibus fuerant, ꝑterrefactio consecuta. Qui cum etiam, neque illi manus admouere, neque propius ad locum accedere vnquam potuissent; sed, vt prorsum ire connitebantur, ita pedem referre, tanquã ab aliquo Imaginẽ ipsã, ac Virgines propugnãte repulsi, cogerentur, irrito inceptο in vrbẽ remeandũ cogitarũt. A quibus de represso prodigiosè ipsorũ conatu edocti proceres, consiliũ nouandi quidquã protinus abiecerunt, cũ iã periculo satis didicissent, ei tabulæ, vt nullus illo carior in terris est locus, sic Virginũ custodiâ, ac ministerio decentius esse nihil.

Hactenus prioris generis miracula, quæ ad stabiliendam sibi maiestatem, ac fidem imago ipsa designauit. Pauca nunc de innumeris, quæ ad genus attinent posterius, subnectamus. Innumeris enim ferè editis signis Imago hæc, quà priuatim quã plurimis, quà reipublicæ consuluit, profuitque, ita vt alia eius in homines beneficia vocari publica possint, alia priuata. publica quidem (vnde initium dicendi faciemus) vt cœli tempestatum mutationes ad nimiam, hoc est, ad perniciosam frugibus, ac satis auocandam pluuiam, cohibendamvè siccitatem:

hostilis item ab vrbe impetus; ad hæc grassantium in populo morborũ, aliorũq; huiusmodi propulsatio malorũ. Primã autẽ in hoc genere virtutẽ ab ipsâ editã, Sigonij verbis referemus.

Secundi generis miraculum.

1. aduersus tempestates.

Is ergò de Bononiensibus Episcopis libro quarto in Fr. Nicolao Albergato: Qui quidem (liceat id obiter dixisse) apprime insignem inter Episcopos eius vrbis, atque adeo inter S. R. Ecclesiæ Cardinales promeruit locum, ea viri sanctimonia, & eruditio, atque in conficiendis negotijs sollertia extitisse fertur, vt Christianæ etiam Reipub. maximis suis in rebus fuerit perspecta; sicuti in hoc de Bononiensibus Episcopis libro, ac multo plenius in eius vita seorsim ab eodem Sigonio conscripta fusiùs edocemur, quam Fabius Albergatus, tanto viro, vt genere proximus, sic & virtute simillimus, nondum editam seruat. Sigonius igitur in Nicolao: *Postero* (inquit) *anno* (*millesimo quadringentesimo trigesimo tertio*) *prodigia cælestia plura diuinas minas, vt vulgo rebantur homines, ostentãtia variè ciuitatis pectora perculerunt. Hi fuère mense Maio sæuissimi terræmotus, quorum impetu plurima ædificia corruerunt. Iunio vero Sol adeo post meridiem obscuratus, vt ipsas noctis tenebras adæquaret. Præterea assiduæ, & vehementes pluuiæ, ac fœdæ adeo omnis generis tempestates, vt non solum instanti messi impedimentum afferrent, sed ipsis etiam segetibus iam maturis exitium intentarent. Qua de re cum Episcopus vehementer animo angeretur, consensu Antianorum triduo supplicationes fieri iussit; quibus cum nihil profecisset, quinque alias addidit: Quas vbi irritas item, atq. inanes agnouit, deinde in alios octo dies indixit. Interim sermo inter Antianos remedia imminenti inopiæ anxiè conquirentes, obortus est, consueuisse in eiusmodi periculorum articulis Florentinos tabulam quandam, in qua imago ex ore Beatæ Virginis manu Sancti Lucæ esset expressa, proferre; ac sæpe opportunũ subsidium retulisse. Tũ interfatus ex ijs vnus, Et nos idem, inquit, facile facere possumus, si quidem alteram eius similem ab antiquo tempore in Monte Guardiæ retinemus.* (Hunc, cuius nomen supprimit Sigonius, Gratiolũ Gratiolium, spectatæ pietatis, ac sapientiæ virũ fuisse legimus) *Cui cum ceteri assensissent, re cum Episcopo communicatâ, ex communi cõsilio cõstitutũ est, vt hæc ad vrbẽ omni adhibitá religione deportaretur: atq. eius rei officiũ Deuotis Hospitalis Sãctæ Mariæ Mortis nõ recusantibus est mandatum. Ita Deuoti iij idus Iulias* (pro, *idus*, legen-

Nota Bene. de B Nicolao Albergato.

dum puto, *Nonas) summo mane in collem se receperunt, atq; eam sub vmbellâ cum cereis accẽsis longo instructi agmine detulerunt. Antiani verò, ceteriq. Magistratus vnà cum clero atque omnibus religiosorum ordinibus ad portam Saragotiæ occurrerunt; atque apud Virgines Sancti Matthiæ collocauerunt. Inde per octo dies in pompâ ingẽti honore gesserunt. Quare perfectâ, cùm statim optatæ serenitatis, ac tranquillitatis lucem impetrauissent, Deuoti tabulam ad Montem eodem ordine reuexerunt. Ita, messe, ac trituratione lætè confectâ, cum ciuitas se ex ingenti periculo euasisse cœlesti eiusmodi beneficio iudicaret, Marcus Episcopus Aucnionensis, atque vrbis gubernator decretum iij Kal. Septembris fecit, vt post hac Deuoti Sanctæ Mariæ Mortis deferendæ, & referendæ tabulæ potestatem haberent, eamq. dum in vrbe esset, apud se custodirent: & vt tabula relata armario includeretur, ac tribus clauibus mandaretur, quarum vnam Antiani, alteram Virgines Sancti Matthiæ, tertiam Deuoti ipsi Sanctæ Mariæ tenerent. Et quoniã iij. Nonas Iulias initiũ huius deportationis feliciter fuerat factum, vti quotannis primâ Dominica Iulij ea tabula eodem honore, atque eâdem religione deueheretur: ac proximo anno ad basilicã Sancti Petri solẽniter portaretur: atq; ibi Missarũ solẽnia præsente populo fierent; reliquis inde ad reliquas Ecclesias ordine seruato iretur: ac postridie ad Montem tabula referretur, atque ibi ad honorem Dei, & salutem populi Bononiensis conseruaretur. Quod nunc etiam obseruatur.* Hæc Sigonius. Ne vero fortè aliquis de postremis eius verbis erret, vt quæ de Imagine decreta ille scribit, quemadmodum constituta ab initio fuissent, ita prorsus obseruari omnia putet, sciendum, multò ante Sigonij ipsius ætatem institutum, vt non amplius prima Iulij Dominicâ, sicuti fiebat prius, sed eâ, quæ Festum diem Christi in cœlum ascensus præcedit, Sacra hæc Tabula deportaretur in vrbem: ac tribus eam consequentibus diebus, in queis anniuersariæ Rogationes, iampridem introductæ ab Ecclesia fiunt, solenni vrbem lustraret pompa. Quod huc vsque perpetuò seruatum est: & nunc etiã seruatur, vti diximus superius. Illud verò parum caute à Sigonio scriptum est, nimirum, *Ac postridie ad Montem Tabula referretur:* perinde enim est, ac si vnius tantum diei, videlicet primæ Iulij Dominicæ, Auenionensis Episcopi decreto, quotannis

retinen-

retinendæ in vrbe Imagini, ſpatium ſtatui dicatur: cùm tamen re verâ Dominico quidem die deuehendā, tribus autem ſequētibus ſolēniter per vrbem gerendam eſſe, decretum ab illo fuerit: vt & Leander Albertus, vir in minutijs quibuſdam enarrandis admodum accuratus, teſtatur. Apud quem etiam ſcriptum extat, eo anno, nimirum milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, non quidem octo, vt ait Sigonius; ſed tres tantum (quod veriſimilius) publicè circunuectam Tabulam fuiſſe; primoque ſtatim die ad ingreſſum eius in vrbem diſſerenauiſſe, vento derepentè exorto diſpulſis nubibus: populumque (ad quattuordecim millia illuc hominum conueniſſe prodit) ſummo clamore (cum vberibus lacrumis ex ingenti erumpentibus lætitia) permiſto, Dei Miſericordiam, Virginiſq; Deiparæ efficacem adeo apud Filium deprecationem concelebraſſe. Sed & Sigonij verbis addere, pretium operæ videtur, poſtero anno, nouo decreto ſancitum à magiſtratu, vt Tabulam de Monte ad vrbem, indeque rurſus ad Montem proſequerentur quidem, quos memorauimus, Deuoti; at ſuis humeris ſoli eā gererēt Clerici Apoſtolici (quos Ieſuatos vulgo dicunt) queis ad S. Euſtachij extra portam S. Mamæ domicilium eſt. Nec alij ab eo tempore ad hanc vſque diem ferunt: niſi cùm Tabula ipſa per vrbem in pompâ circumfertur. tum enim intra ſacras quidem ædes duobus diebus primo ſcilicet, ac ſecuudo, Canonici hāc Eccleſiæ Metropolitanę, tertio verò die Inſignis Collegiatæ Eccleſię S. Petronij Canonici ſuis portant humeris: extra autem eas eodem modo inter ſe partientes vtriuſque Eccleſiæ Sacerdotes Aſsidui, quos Manſionarios appellamus. At contrectare hanc, dum è propriâ emota ſede, abeſt, in altaribus deponere, inde amouere, vnis ferè ius eſt Ieſuatis, præterea nemini: vt non alijs ornandæ eius, atque amiciendæ, quàm Sancti Matthiæ Virginibus.

Porrò cum eodem anno MCCCCXXXIII. ſerenitate, vt dictū, impetratâ, ad autumnum vſque per tres menſes perpetuos ſterili prorſus imbrium cælo, Sol ita excoxiſſet agros, vt, ſummâ obducta duritie, nullo ſubigi inſtrumento ad cultum poſſent, imperandas demum in triduum ſupplicationes ad eliciendam

2. Miraculum aduersus aëris ſiccitatem.

pluuiam,eamq; ob rē ad hāc refugiendū Imaginem ciuitatis moderatores decreuerunt;Eiusdem prope gnari benignitatis esse,redundantes humore terras,opportunè, ac quantum satis sit,arefacere:& nimium arefactas,siccitateq; hiantes salutari imbre perfundere. Eā igitur ad vrbem deportatā, perq; eam solenni religione,ac pompâ perlata,in colleque relatā,temperata quędā cōtinuó pluuia occœpisse fertur,quâ ita per triduū madefacta tellus,nihil vt optari aut fingi opportuni9 potuisset.

3. *miraculū aduersus pluuias.*

Anno autem millesimo quingentesimo octogesimo nono (quod nostris ipsimet hausimus oculis)cùm ab ante diem iij. Kal. Maij,quo cœpêre,ad xij. vsque Kal. Iulij nunquam pænè intermittentibus pluuijs obruta fere essent omnia, & messis impendentis pręcisa spes videretur,arcessita hæc eadem in vrbem Imago fuit. Cuius vix reserato ad ipsam proferendā Tabernaculo, veluti recluso carcere Aquilonib. nubes citatissimè diffugiētes,cælū,ac Solē mortalib. optatissimū ostēderūt.

4. *miraculū aduersus hostes,*

Tradunt item,aliquando cum obsideretur, oppugnareturque vrbs , hominesque pij vtriusque sexûs religiosissimè pro patriæ incolumitate vota huic Imagini nuncupassent,visam à compluribus Dei genitricem inter Sāctos Petronium,Dominicumque Patronos eius vrbis stantem pro mœnibus, atque hostium aciem aspectu suo perterrefaciētē: ex quo eos referre pedem,ac sol..tâ obsidione inde statim abscedere subegerit.

Ingruentes etiam in ciuitatem morbos quoties hæcipsa depulerit,auerruncaritq; vt longum fuerit referre, sic vnum saltē eius rei pro multis exēplū nō ab re erit è vetere annalium memoriâ protulisse. A publicis deinde ad priuata descēdemus.

5. *miraculū aduersus hostes.*

Sigonius in Fr. Nicolao Albergato:*anno* (inquit) *millesimo quadringentesimo trigesimo octauo , cùm tætra pestilentiæ lues vrbem incolis exhauriens,ingentem curam omnibus iniecisset, placuit, ad Diuinum propitiandum numen , vt ciuitas triduo oratum ad tria templa procederet:atque iterum Imago Deiparæ Virginis, cuius salutarem deportationem experti pridē in auertendâ pluuiâ infestissima fuerant,deferretur. Atque ita,re ex constituto ordine administratâ, Ciuitas voti compos facta,vberrimum alterum pietatis suæ fructum accepit.* Hæc ille.

Nunc

Nunc publicis priuata succedant, quorum initiũ vnde meliùs, quàm ab ipsis, vt Græci dicunt, laribus sumatur?

Anno igitur millesimo quingentesimo vigesimo septimo; cùm Carolus Borbonius, Caroli Imperatoris eius nominis Quincti copiarum in Italia ductor, infesto Romam exercitu petens, ad agrum Bononiensem, qua transiturus erat, aduentaret: militesque eius, quocunque inferrent gressum, populabundi nullius non insolentiæ, aut immanitatis vestigia imprimerent (quippe exercitus is magnam partem ex hominibus à Catholica pietate auersis, nempè ê Lutheranis, erat cõflatus) occurrẽdum haud cunctanter ingruenti malo decreuit Senatus Bononiensis, vti scilicet, conditione aliquâ propositâ, pacatum per suum agrum à Borbonio transitum redimeret. Sacram interea Imaginem ê monte in vrbem transuehendã, intactamque à Lutheranorum, quos facile eò euasuros suspicabatur, impietate, sacris priuatim Imaginibus infensissimorũ, seruandam curauit: Virginibus eius custodibus bono esse animo iussis: Si enim nihil tandem æqui à Borbonio impetratum foret, curaturum se, vt ipsæ etiam ad vrbem maturè deducerentur: Cùm ex improuiso proxima monti hoste occupante loca, nonnulli è Germanis in eum conscendere montem, cœnobiumque irrumpentes, Virgines ipsas in Templum compulerunt, vbi illæ trepidantes, ac Deiparæ implorantes fidem ad vesperum vsq; se se continuêre. Commodùm verò eius Templi subijt porticum dux quidã cum armatâ militum manu ad triginta. ibi ille interea labantes mulierum animos confirmare. haud ijs metuendum, dicere, ne illa, cuius asseruauerãt Imaginem, seruare vicissim eas, ac tueri, & pręsenti eripere periculo nolit. Se etiam ibi adesse, vt eas, vbi sit opus, auxilio iuuet. Primis inde tenebris Germani audito Templi illius Campanæ occentu, qui consalutandam Dei Matrem de more admonebat, quasi dato receptui tuba signo, confestim in castra redeũt. Tum iis consuadet miles, vt fugam ornent: Germanos decreuisse postridie eius diei, cum primâ luce eo reuerti, cunctaque diripere, quęcunque sibi vsui forent, asportare, cetera subiecto igne corrumpere, omnia pro libidine agere, vt postea euenit.

6. Miraculũ aduersus militũ furorem.

Quare optimum factu; illuni fauente nocte, in vrbem se, & sua quæcunque auferri possent, conferre: Ijs sese offerre itineris ducem. quippe eas illò perducturum incolumes. Iam enim omnia obsideri loca suburbana, vt vix etiam noctu, solæ si proficiscantur, satis tuta esse fuga videatur. Parent illæ eius dictis, & se, suaque homini concredunt, è sermone, vultu, humanitate ciuem, aut certè indigenam arbitratę. Conuasatis ergo quęcunque licuit, adiutantibus onera militibus, cum summum omnibus à Ductore silentium per medios ituris hostes foret indictum, se in viam dant. Vrbemque versùs iter faciunt. Vbi ad Monasterium Virginum Sanctæ Mariæ Magdalenæ (hodie S. Iosepho dicatum, & à Seruitis Fratribus habitatum, quod paruo admodum interuallo ad vrbe distat) tunc fermè vacuum, peruenêre, Dux ipse, quasi haberet clauim, fores vestibuli reserat, atque ibi eas noctem illam traducere iubet. Ingredientibus iam, vnam ex ijs desiderari nunciat. Hanc perhibent è Marsilia gente adolescentulam fuisse, Leonam nomine, nullis quidem ipsam eius cœnobij initiatam sacris: sed eò à parentibus erudiendi caussâ missam; Romæo Foscarario posthæc connubio iunctam. Eam igitur duo milites perquisitum eunt. quam in fossam nacti prolapsam, inde educunt, ac reducunt ad suas. Illa cùm inter vias pedem in lubricâ ripâ incautè posuisset, in subiectam fossam prouoluta, casum suum clamore euulgare minimè ausa, ne proderet cæteras, imperatū sibi silentium propriâ salute potiùs duxerat. Saluis iam omnibus, crastinâ luce, inquit Ductor, in vrbem ingrediemini. præsto enim erit, qui vos actutū intromittat. Ego interea loci cū meis vestem vestram omnem, ac supellectilem ad Sancti Matthiæ cœnobium perlatam vestris reddam. Ingressus ille in vrbē, omnia, quo dixerat, ferenda curauit: atque eius cœnobij Antistitæ Hippolytæ Castellæ tradidit, saluas esse Virgines, & breui affuturas nuncians. Pauca hæc prēfatus, cum suis, qui cuncta fide summâ, ac silentio reddiderant, vale dicto, abit. Cumque mox à famulo Monasterij reuocaretur, vt se vnà cum suis parato sibi ientaculo reficeret, se statim cum iis ex oculis eius abstulit, ita, vt euanescere viderentur. Paulò ante eius aduentum

quædam

quædam è contubernalibus, cui nomen Columbæ Aldrouandæ fuit; insigni pietate virgo, antistitæ visum hoc renunciârat. Cum ipsa in communi omnium trepidatione ac turba sui sodalitij virgines, quæ in Monte Guardiæ commorabantur, summo studio Matri Virgini commendasset, ne illa famulas suas hostibus prædæ ac ludibrio esse pateretur, ac paululũ postea conquiesset; visam videre sibi Præfectum Deuotorũ S. Mariæ Mortis se prehensam manu perducere ad Templum, in quo ei multa, ac varia à Beata ipsa Virgine edita miracula in pariete picta digito commonstrabat, tandem recens, nec dum vulgatũ ostendebat illi miraculum huiusmodi: Inerant in pictura Montes, & colles nemorosi. Ibi passim milites fixis tentoriis, ea turmatim percurrentes loca, villas deuastabãt, pecora, & quęcũq; esui forẽt, abducebãt, obuiũ quodq; agebãt, ferebãt: cũ interim per medios ipsos agmẽ mulierũ Dominicano indutarũ habitu procederet magno Angelorum comitatu stipatũ. Tũ illi Præfectus: Nostin' locũ, & mulieres? Nosse mihi, inquit illa, videor; Mõs Guardiæ hicce est, hæ Societatis nostræ mulieres, Sacrã in Mõte Imaginem custodiẽtes. Ergo, inquit Præfectus, nunc illæ è mediis euadentes hostibus à cælestium cateruâ iussu Deiparæ deducuntur in vrbem. Hactenus Columbæ visum. Mox igitur vbi S. Lucæ Virgines peruenêre in vrbanum cœnobium, conferendo hæc, quæ Columbæ in somnis oblata, cum euentis, re vera milites illos, qui eas ad Monasterium S. Mariæ Magdalenæ deduxerant, Angelos fuisse in faciem versos humanam est iudicatum; idq; eò liquidiùs, quòd, cùm diligentissimè requisiti per vrbem fuissent; quinam forent, quâ portâ ingressi, nunquam reperiri quitum.

Anno supra millesimum quingentesimo octogesimo quinto IV. idus Iunij, qui tunc secundus è tribus sollennibus Sacrę Pentecostes agebatur dies, magna accolarum vis in hoc S. Lucæ Templum conuenerat. Cumque è vehementiore æstu, atq; è via plerique contractâ siti aquam à Virginibus peterẽt; duas illæ hydrias, quas è longinquo implẽdas, ad vsum cœnobij procurarant (arefacta scilicet ex ingenti calore loci eius cisterna) exhauriendas sitientibus perliberaliter obtulêre. Verũ iis per- *7. Miraculũ aduersus sitim.*

breui ſiccatis, cùm ſubinde noui ſuccederent aduenæ potum rogantes, eâ quidem aquæ inopiâ Virgines, quod ſuppeditatã omnibus abunde voluiſſent, mirum in modum angebantur, nec quò ſe verterent, ſciebant: cum ecce tibi Virgo ſacri earũ cœtûs Honoria Blanchetta, hydriarum alteram, quæ ambæ iã inanes ſepoſitæ fuerant, plenam optimę reperit aquę. Quâ quidem omnes conſpectâ, vix ſuis ipſarum oculis, vix ſibi ipſis à primo credere: mox vero prodigium id, ac diuinum planè eſſe factum, dubitatione omni amotâ á cunctis eſt affirmatum, ac prædicatum, quod ſatis conſtaret neminem tum ingreſſum, qui eam inferre potuiſſet, ac domi ne guttam quidem eſſe aquę relictam. Solaq; illa ſatis fuit omnibus. Sed & poſt bienniũ quám hæc facta, mirum ferè huic conſimile eodem in loco accidiſſe liquet.

8. Miraculo vinum augetur.

Cùm enim Paulla Maria Garzonia huiuſce Monaſterij Vicaria præfecturam ſuam, expleto iam biennio, relinqueret nouæ, videlicet Febroniæ Buttrigariæ: ac rem illi omnem domeſticam ſingillatim perſcriptam, vt moris eſt, contraderet, imperatum ab ea Thomæ Stiuano monaſterij famulo fuerat, vt vaſa omnia vinaria, quæcunque vacarent, elueret, vti rectè curata Vicariæ ineunti traderentur. vini in cellâ perexiguum inerat, quod vix in pauculos ſufficeret dies, itaq; magna de prouidendo potu ſollicitudo Buttrigariam inceſſerat: cùm interea famulum mirabundum audiunt mira domi eueniſſe clamãtem: Maximum dolium, quod ipſemet aquâ iniectâ perluerat ac defæcarat, mero & quidem genero ſiſsimo ſe inueniſſe plenum. Summâ omniũ admiratione (vt par erat) exceptâ re, ſtatim in mentem ijs venit portenti, quod in vacuâ euenerat hydria: ſubijtq; ſimul eas, non ſemel declaraſſe Deiparam, peculiari ſibi ipſas eſſe curæ. Igitur cæleſte id ipſius eſſe ſubſidium haud ſibi ægrè perſuadent. Quippe eã non minùs nunc domeſticis ſuis, vini laborantibus inopiâ, quã aduenis olim ibidẽ aquam petentibus, ſuccurrendum cenſuiſſe. Cũ ergo ad cellã omnes vinariã rei viſẽdæ adeò nouæ ſtudio procurriſſent, nihil mentitum inueniunt hominẽ: dolium, quod nuper inane eſſe certò ſciebãt, vino iã plenũ apertè videt. Ingenti igitur lętitia

ingẽtes Deo, patronæq; Virgini, ac laudib. miſtas grates agũt.

Gerardus fuit Bingardus Mutinenſis presbyter: qui mirificâ Imaginem hanc religione colebat Is anno milleſimo quingẽteſimo quadrageſimo ſecundo cúm Eccleſiæ Argellatẽſi operã nauaret, (eſt Argellata vicus agri Bononienſis) Sigiſmũdũ Malauoltam Curatorem Stoffionenſis Eccleſiæ (quæ in Mutinẽſi eſt) Mutinẽſẽ & ipſum, in maximis eius anguſtijs mutuo datâ pecuniâ plurimum iuuerat. At ille amici benignitate; quẽ benè nummatũ exiſtimabat, ad inſidias per ſummũ ſcelus fortunis eius, vitæq; ſtruendas abuti cogitans, hominẽ rogauit, vt ſibi hoſpitio ipſius per dies aliquot vti liceret. Bingardus humaniter ſuis illum laribus, proprioque excepit cubili. Verũ cũ breui is, quid ille animo agitaret facinoris, intellexiſſet, honeſtã commentus cauſſam, contubernio hoſpitem excludit. Ille vero intentatũ huic fruſtra exitium alio confert, Bondanellẽſiſq; Rectorem Eccleſiæ (quæ in agro eſt Bononienſi) obtruncat, compilatq;. Cumq; ipſum cõquirentibus ex parricidio ſatellitibus, nullum is ſibi tutiorem putaret conuictum, quã facinoroſorum hominũ, quos pariũ ſcelerũ conſcientia ad obſidendas vias patrandaq; latrocinia adegiſſet, in eorum ſe recipit gregem: nec Gerardi oblitus, vna cũ ijs in caput ipſius cõiurat. Ergo templũ eius matutino ingreſsi (octo ij fuere) offẽdunt hominem, inchoatũ paulló ante ſacrificiũ Miſſæ celebrãtẽ, cui tum paucisſimi, vix ſcilicet quatuor ex vtroq; intererãt ſexu. Hos ille armatos conſpicatus, quid venerint, cõtinuò ſuſpicatur. Itaq; puero in ſacrificio ſubſeruienti ſummiſſâ voce præcipit, vt citato gradu ruſticos euocatũ eat, qui ſibi à latronib. circumuento opẽ ferant. Sed Malauolta, re animaduerſâ, prius, quã ille mandata exhaurit, ſacerdotẽ ſtricto aggredi pugione occupat. Ille ſtatim in ipſo periculi articulo huiuſce regione recordãs Imaginis, ſe ei ſuppliciter cõmẽdat. Mirũ dictu, magis viſu mirũ, Malauolta Bingardũ ne cõtingere quidẽ, nedũ vulnerare, potis vnquã fuit: cũ tamẽ ſublato aliquãdiu brachio plagam infligere anniteretur. Tãdẽ humi corruẽs, pugionẽ à ſe lõgè proiecit. Id vbi ſocij vidẽt, vnà oẽs irruũt cũ validis haſtis, vt quẽ ille nõ potuerat vnus, cõfertim oẽs confodiãt. Sed ille

9. Miraculum aduerſus ingruentes ſicarios.

inno-

in nocentiâ vitæ, ac sacræ potissimúm Imaginis præsidio munitus horum ictus, tanquam ferro vndique septus, cum tamẽ omnino foret inermis, ita excipiebat, vt hastæ ex illisu cõfringerentur omnes. Hi itaque rei nouitate ac prodigio conterriti, in fugam effusi, tanquam aliquibus ipsos insectantibus, sibi salutem quærunt. Verùm breui à satellitibus comprehensi dignas factis pœnas publicè dederũt. Gerardus gratijs actis Deo ac Deiparę seruatoribus, fragmenta illa collegit, quæ ad insignis miraculi memoriam asseruabat: ac lubens cuicunque monstrabat.

10. Miraculo puer furiosus curatur.

Anno eiusdem seculi quinquagesimo tertio, puer è Marano, Bononiensi pago, correptus rabie, cúm notitiam necessariorum, ac familiarium omnium ex mali vi amisisset, obuiũ quẽque promiscuè, vt rabidi solent, morsibus appetebat. Tũ parentes puerum, nullâ scilicet hominum curâ sanabilem, ad S. Lucę Templum sibi esse ducendum statuunt. Cum autem dum eò contenderent, Imaginem ad vrbem esse deuectam cognouissent, cœptum nihilominus pergentes iter in fanum ascendunt. Cumque ij puerum in altari, quod pro Imaginis Tabernaculo est, imponere cupientes, id non auderent, quædã è famulis cœnobij, quæ fortè aderat, arreptum eum audacter in mediâ arâ collocauit. Statim atque eam insedit, latratus ille frequens, qui rabiosis familiaris, consiluit, furor conquieuit, miraque eum consequuta mãsuetudo est, vt placido mox vultu parentibus subblandiretur, neq; vllum inde domum tanti retulit vestigium mali.

11. miraculo languidus sanatur.

Puer quidam Bononiensis anno eiusdem seculi quinquagesimo quarto, corpore per quadriennium ita affecto, vt se vix commouere, nedum ingredi valeret, cùm membra suis defecta viribus proprias obire functiones nulla possent, à medicis, quos acciuerant domestici, eorum, qui medicinam in vrbe factitabant, facile principes, destitutus, atq; à suis deploratus iacebat. Tum Monasterij S. Lucæ famula quædam, quæ stipẽ ostiatim cœnobio rogitabat, Ioanna nomine, ad eum forte intromissa, atque eius cognitâ inualitudine, Pete, inquit, votis conceptis à Beata Virgine huic malo medicamen, haud tua

(sat scio) in irritum vota cadent. Certó enim, ac breui conualesces. Dein cruce, quam attulerat, ob partam sibi ex huiusce Imaginis contactu vim, ac religionem iampridem nobilitatâ, ipsum consignauit. ille stupentibus cunctis, nullo temporis interiectu, morbo omni liber incedere pedibus suis cœpit.

Iulij Veronensis è Sancto Petro in Casali, Bononiensi itidē pago, vxor, contractâ cæcitate, per biennium vsu omni caruit oculorum, ita vt sensum aspectûs amissum non magis (humana quidem ope) recipere eam posse, quàm de integro è matris vtero prodire, medici dictitarent. Illa veró quod à mortalium nemine sperare licebat, id ipsum cælitùs dignâ, vt impetraret, fiduciâ petit. Cumq; de Imagine hac mira prædicari sæpenumero audisset, inde in spem pristinæ valetudinis erecta, cum viro agit, vt ad fanum eius adducatur. Ille, quod æquè atq; ipsa optabat, id haud sibi minus, quam ei sperandum ab hac Imagine ratus, nullum precibus eius reliquit locum: atque ipsemet dux illi itineris fuit. Quod anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, ipso peruigilio assumptionis Deiparę Virginis susceperunt. Vix dū illa in Mōtis Guardiæ radices intulerat pedem, cum clamare occœpit se iam humum cernere virentē: mox & arborum frondes, herbarumque folia oculorum acie distinguere. Et quo scandendo montem, sacram propius ædē accedebant, eò magis nox illa cæcitatis cernendi vi, quasi illucescenti concedens diei, recedebat. Tandem mulier, vbi fanū est ingressa, clarissimè oculis videre cœpit, perinde ac si nunquam eâ corporis parte laborasset.

12. miraculo cæca mulier visū recipit.

Angelus Galuanus Ferrariensis anno eiusdem seculi nonagesimo sexto, cum degeret Tridenti, atque ibi in culmen ædiū domestici fortassè negotij gratiâ, inscendisset, magno inde præcipitans lapsu, Imagini huic sibi tantum famâ notę pro salute vota fecit. Concursus statim ad ipsum vndique factus est eorum, qui prope erant, vt cadauer potiùs, quàm spirantem hominem contuerentur. Atque ille sanè cum reliquum corpus vehementer labefecerat, tum vero dextrum crus, brachiūque itidem dexterum miserè perfregerat. Medicorū curæ mādatus, plurimum ijs exhibuit negotij, cum de salute eius diu mul-

13. miraculo ex lapsu concussus restituitur sanitati.

multumque dubitassent. Ipse interim Imaginem hanc vsq; in ore habere, atque omnem valetudinis spem suæ in eâ collocare. Breui hom o quinquagenarius conualuit; sic tamen, vt brachium illud, quod vná cum crure ex affrictu perruperat, motu plane destitutum omni, crus item altero breuius, monumentũ sui illa ex præalto ruina reliquisset. Ille nihilominus non quidem arti medicæ, quod viueret, sed Deiparæ ipsius ad Filiũ precibus acceptum referens, vt primum confirmauit vires, illico ad sacram hanc visendam Imaginem contendit. Vbi fanum ille attigit, seriùs tamen, quàm voluisset, sacris iam, vt videbatur peractis, impetrat nihilo seciùs ab ędituâ, cui vnà ac socijs Virginibus caussam eius itineris explicarat, vt sibi Imago commonstretur. Dumq; prostratus humi gratias illi quàm maximâ potest religione agit, nouum in se portentum videt. Brachium eius antea iners, expersque motus, viribus reuocatis sponte commouetur. Mox, dum tantam ille rem miratur vnà ac Deiparam secundúm Deum laudibus & gratijs veneratur, superuenit nec opinantibus sacerdos, & sacrum celebrat. Eo diuinis operato alterum homini miraculum euenit. Inde enim, vbi dum sacris interesset, supplex procubuerat, exurgens, crus illud breuius & firmitate & lõgitudine exęquatum alteri animaduertit. Ita, dum seruatum se Deiparæ auxilio, huiusce gratià Imaginis piè credit; dum se tanti memorẽ beneficij, & gratum ostendit, alia ille maxima, atq; in veris haud dubiè numeranda miraculis ab ea consequutus, vnde membris captus discesserat, eo integer vixq; à suis agnitus reuertitur.

14. miraculo alius quidam morbidus sanatur.

Parem in re non ita dispari Deiparæ benignitatẽ, hac eadem intercedente Imagine, expertus fuit Thomas Ferrarius Bononiensis Iesuatus, qui quidem quadragesimũ iam ferè annũ eã, quoties in vrbem defertur, ferre solet. Cum enim dextrũ eius pedẽ, anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, ac manus anno eiusdem seculi octogesimo secundo tanta vis inuasisset mali, vt ijs neq; vti in præsens valeret, nec valiturus in posterum videretur, vanaque medentium remedia cõperisset; ijs damnatis ad vltimúm supplex medelam ab hac Imagine poposcit: & quam ille poposcit, pręsentem sensit opem, ab vtroq;

statim

ſtatim malo,ſimul eam implorauit,vindicatus.Par erat ſcilicet vt qui tot annos Imagini huic religioſiſsimè gerendæ inſeruiſſet,ab eâdem impetraret,vt tot conſequuturos ſanctum, ac ſibi periucundum præſtare eidem famulatum poſſet.

Cùm pauca hactenus enarrata miracula haud paruũ videantur ſpecimen cæleſtis illius dediſſe virtutis,quam in hac effigie innumerabilibus conſpicuâ editis ſignis præpotens effulgere voluit Deus;Placet igitur,vt quod ſequitur miraculum,ſicuti omnium,quæ patrata ab ipſa Imagine hucuſque ſunt (quod equidem ſciam) nouiſsimum eſt, ſic etiam poſtremum commemoretur.

Mulier eſt Bononienſis,cui Margaritæ nomen, M. Antonij Tumbæ vxor, huic Imagini mirum in modum addicta,cuius & exemplum ipſa depictum habebat domi,de cubiculi pariete ſuſpenſum.Ea hoc anno,qui ſalutis reparatæ præter milleſimũ duodeſexcenteſimus numeratur,pleuritide tentata, atque in magnum adducta vitæ diſcrimen,dum ita decumbebat. Imagini illi,cuius in obtutu ex aduerſo pendentis defixa erat,ſeſe identidem commendabat.Cumque à longiore vigiliâ quietis deſiderium obreperet,eos,qui aderant,diſcedere illinc, & cubiculũ claudere iuſsit, vt ſomnum capere,arbitris remotis,faciliùs poſſet.Id vbi factum,cum ſe illa ad dormiendum comparaſſet,vocari ſe paullò poſt nominatim audit.Ergo,vt erat ſemiſomnis vocem eſſe opinata domeſtici alicuius,orat, ne ſe interturbent dormitantem.Mox de integro appellata,vbi aures arrexit magis,hæc accepit verba:*Scito, Margarita, Cælorum Reginæ, cuius precibus à Deo ſalutem iã impetraſti, placere, vt primo quoque tempore deſurgas,& quam eius Imaginem in cubiculo habes,eam in ſacram aliquam ædem transferendam cures*. Ad hæc dicta obſtupuit primùm ægrota,dein vero erecta conſedit in cubili:doloreque leuari ſibi viſa,& morbo, quos abire iuſſerat, cõtinuo introuocat.Dũq; ijs miraculũ enarrat,animaduertũt pictã illã Imaginẽ,quæ de pariete pẽdebat in lecti ipſiꝰ ceruicali ſitã.Quæ quoniã humana emota manu haud videbatur,maior acceſsit miraculo ab ea enarrato fides.Mirũq; alterũ alteri fidẽ fecit.Eã igitur Imaginẽ Alphõſus Palçottus Archiepiſcopus

15. miraculo Pleuritica mulier curatur.

pus Bononiẽsis, re prius diligenter cognitâ, transferendã curauit in fanum mulierum Conuersarum. Silentio illud minimè prætereundum, quandam scilicet ex ijs, Veronicam nomine, variâ tredecim mensium inualetudine cruciatam, statim receptâ in suam ædem Effigie, valetudini pristinæ fuisse restitutam.

Ita Imaginis illius gratiâ, quæ editarum virtutum magnitudine, ac numero tantopere emicat, virtutes etiam in illis elucent, quæ ex illa effictæ, eius etiam studio coluntur.

Ad gloriam Vnius, Triniq; Dei, qui vnus omnia potest: Cui Vni Bona omnia referre omnes accepta debemus.

En tibi, Deipara Virgo, Sola Mater Virgo, quò me damnasti, scribendæ huiusce votum Historiæ persolui. Gratum vtinam Tibi, quidquid id est, quod præstiti, acceptumque sit; vti iucundissima mihi mirificeque salutaria accidere quæcunq; in me Tuæ non semel indigentem opis verè admiranda diuinitùs impetrata beneficia contulisti. Certè vt quàm id tibi gratissimum existeret, Te ipsa mihi (vti credo) conscia, quoad eius facere potui, contendi.

(* * *)



Impp.	Pont. Rom.	Anni Cardinalatus.	Anni Episcopatus.	Anni Conuersionis.	Anni vitæ.	Anni à D.N. Iesu Christo.	TABVLA CHRONOLOGICA, IN QVA VNO QVASI INTVITV CONSIDERARE licebit vitam B. Nicolai Albergati S. R. E. Card.
					1	1375	Nascitur B. Nicolaus Bononiæ, ex patre Petro Nicolao Albergato, & matre Philippa, *Zenus c. 1. & Sigonius c. 2.*
					2	1376	
					3	1377	
					4	1378	
					5	1379	
					6	1380	
					7	1381	
					8	1382	
					9	1383	
					10	1384	
					11	1385	Incipit studere Iuri Ciuili, continuatque annis 9. *Ita Zenus c. 1.*
					12	1386	
					13	1387	
					14	1388	
					15	1389	
					16	1390	
					17	1391	
					18	1392	
					19	1393	
				1	20	1394	Induit habitum Monasticum in Carthusia Bononiensi, *Ita colligitur ex Zeno cap. 1.*
				2	21	1395	
				3	22	1396	
				4	23	1397	
				5	24	1398	Hoc tempore absque dubio administrauit Prioratum primo in Carthusia Bononiensi, dein in Florentina. *Ita colligitur ex Sigonio ca. 2.* quamuis anni certi non queant designari.
				6	25	1399	
				7	26	1400	
				8	27	1401	
				9	28	1402	

Imp.	Pont.	An Card.	An. Epis.	An. cõuer.	Anni vitæ	Anni Dom.	
				10	29	1403	Quos studiosius indagabunt istorum Cœnobiorum Religiosi Patres, ex antiquis Monumentis.
				11	30	1404	
				12	31	1405	
				13	32	1406	
				14	33	1407	Constituitur à Capitulo generali Prior Carthusiæ Romanæ ac generalis Procurator Ordinis nostri fungiturq; eo officio annis 2. *Ita insinuat Charta Prouincialis.*
				15	34	1408	
				16	35	1409	Deputatur à Capitulo generali primus Rector nouæ Carthusiæ Mantuanæ manetque in illa administratione annis 7. *Ita indicat Charta Prouincialis.*
Sigismundus R. Hungariæ.	....	....	....	17	36	1410	
				18	37	1411	
				19	8	1412	
				20	39	1413	
				21	40	1414	
				22	41	1415	
				23	42	1416	Absoluitur à Rectoratu Carthusiæ Mãtuanæ. *Ita habet Charta Prouincialis.*
	Martinus V.	....	1	24	43	1417	Eligitur Episcopus Bononiensis 4. Ian. & consecratur Iulij 4. &c. *Sigonius c.3. & 4*
			2	25	44	1418	In Episcopali synodo reformat subditos suos in omni statu Idque 20. Maij &c. *Sigonius c.6.*
			3	20	45	1419	Agit causam Bononiensium apud Martinum V. Rom. Pont. &c. *Sigonius cap.7.*
			4	27	46	1420	Ob interdictum Pontificis publicatum Bononiæ periclitatur de vita &c. *Sig.c.8.*
			5	28	47	1421	Bononia redigitur sub Pontificis Romani potestatem *Sig.c.8.*
			6	29	48	1422	Legatus in Galliam proficiscitur, 26. Mart. à Pont. Rom. missus &c. *Sig.c.9.*

P.	Card.	Ep.	Conu.	Vitæ	Anno Dom.	
		7	30	49	1423	Reuertitur Bononiam,7.Aug.suarum onium curam habet,&c. *Sig.cap.9.*
		8	31	50	1424	
		9	32	51	1425	
	1	10	33	52	1426	Creatur S. R. E. Cardinalis, 23. Iunij. Onuphrius. & mittitur à Rom. Pontif. Legatus ad Florentinos Venetosque,19.Septemb.*Sig.cap.10.*
	2	11	34	53	1427	Venit Brixiam, reuertiturque Bononiam,8.Febr. Inde Romam proficiscitur,& post 4.Menses Mediolanum Nuncius Pacis, &c. *Sig.c.10.*
	3	12	35	54	1428	Publicat Mediolani pacem,6. Maij. Sig. ibidem.Redit ad Bononienses, eosdemque ob seditionem prudēter relinquit, 6.Aug.&c. *Sig.c.11.*
	4	13	36	55	1429	Restituitur iussu Pontificis Rom. in suam sedem ab Apostolico Legato, 25. Septemb. *Sig. c. 12.*
Eugenius 4.	5	14	37	56	1430	Iterum à Pont. Rom. in Gallias, ad reges Francorum & Anglorum conciliandos mittitur. 27. Nouem. *Sigonius ibidem.*
	6	15	38	57	1431	Missus à Pont.Rom.contendit Ferrariam, inde Venetias,tandem ad Concilium Basileense, quod de aliquibus reprehendit,&c. *Sig.c.13*
	7	16	39	58	1332	Reuersus Bononiam accipit literas à Francisco Philelpho,22. Septemb.&c.*Sigon. ibidem.*
	8	17	40	59	1333	Bononiæ curat circumferri imaginem B. V. Mariæ (quam S.Lucas depinxit:cum ingenti fructu,4.Iul.&c Deinde 15. Decemb. mittitur ab Eugenio P.R. ad Concilium Basileense, cum amplissima potestate;&c. *Sig. cap.14.*
	9	18	41	60	434	Destinatur à Concilio Basileensi ad Italiam pacificandam: 6. Aug. Verum ab Eugenio Pontif. remittitur ad Concilium ipsum, vt Pontificis partes defensaret. *Sig.c.14.&15.*
	1	19	42	61	1435	Tertiò à Pontifice Rom. in Galliam ablegatur,pro pace componenda: quam in Conuentu Atrebatensi feliciter confirmauit, 1.Iul. Reuertitur inde Bononiam cum capite S.Annæ,venitq; Florentiam ad Eugenium 4. *Sig. c.15.*

I.	P.	Card.	Ep.	Conu.	[illegible]	Anno Dom.	
		11	20	43	62	1436	Eugenius P.R. libero Vrbis Bononiensis imperio potitur, eamque ingressus cum B. Nicolao, aliisque Cardinalibus, cogitat ibidem Concilium generale inchoare. *Sig.cap.*16.
		12	21	44	63	1434	Ferrariense Concilium indicitur ab Eugenio P. R. cui subscripsit Nicolaus Card. 18. Sept. Bononiæ. *Surius Tom.*4.*Concil.pag.*325.*Sig.c.*16.
Albertus dux Austriæ		13	22	45	64	1437	Interest Concilio Ferrariensi. 8. octob. *Surius Tom.* 4.*Concil.pag.*370.*Sig.c.*16.
							Nouissimam quoque Legationem obiuit ad Germaniæ Principes, & Albertum Imp. missus à Rom. P. *Zenus cap.* 18. *& Poggius in orat.fun.*
		14	23	46	65	1439	Adest Concilio Florentino, & subscribit 6. Iulij, constituiturque maior pœnitentiarius Pont. Rom. siue summus Quæstor. *Sig.c.*17. *Zenus c.* 19.
Fredericus 3. I		15	24	47	66	1440	Eugenius Pontifex à Concilio Basiliensi repudiatus Florentiæ mansit per annos tres, ac B. Nicolaus Card. cum illo. *Sig.c.*17.
		16	25	48	67	1441	
		17	26	49	68	1442	
		….	27	50	….	1443	Eugenius P. venit Senas 7. Martij, & cum illo B. Nicolaus, qui exinde calculi doloribus afflictus est. Obiit ibidem 9. Maij eodem anno. Anno vitæ 68. *Ita Sigonius cap.*18. *& Poggius*, ex quo intelligimus ipsum natum post mensem Maij, in Iunio, Iulio, Aug. &c. Anno Conuersionis 50. *Ita colligitur ex Zeno.* Anno Episcopatus 27. *Id constat ex Sigonio de Episcopis Bononiensibus l.*4. Anno Cardinalatus 17. *Vt ex Onuphrio liquet.* Anno Pontificatus Eugenij 13. *Ex eodem.* Anno Frederici Imperatoris quarto. *Ita Gordonus.* Sepultus est B. Nicolaus in Carthusia Florentina, in qua olim Prioris officium administrauerat.

CARDINALES ALIQVOT SANCTITATE ILLVSTRES, QVI POST ANNVM DOMINI M. FLORVERVNT.

THomas Bozius, vir doctissimus & in omni historia versatissimus tom. 1. lib. 9. c. 5. de signis Ecclesiæ enumerat quosdam Cardinales Sanctitate conspicuos, qui post annum Christi M. floruerunt: quibus ego alios paucos adiunxi, hos igitur lubet simul ex ordine temporis recensere.

1072 B.Petrus Damiani ex monacho factus S.R.E.Cardin.& Episcopus Ostiensis, obijt anno Domini 1072. vt Baronius contendit tom. XI. annal. *Hieronymus* tamen *Rubeus in Historia Rauennatum lib. 5.* asserit ipsum obijsse anno Christi 1080. Vitam *Surius* reposuit *tom. 7. 22. Februar.* In martyrologio Rom. de ipso nihil habetur. *Mylius in noua editione Surij* adfert aliã vitam *ex M.SS. codicibus* quam conscripsit Ioannes eius discipulus, cuius & Baronius facit mentionem.

1086 S. Anselmus Mantuanus monachus ord.S.Bened. & Episc. Lucensis creatus est Cardinalis presbyter ab Alexãdro II.P. R. *vt Ciaconius asserit.* obijt autem an. Christi 1086. 18. Martij, vt habet Posseuinus; quamuis *Ciaconius* ponat annum 1087. vterque autem illi sanctitatis nomen asscribit, testaturque post mortem plurimis miraculis claruisse. Agit de eodem *martry. Rom. die assignato.* Extat ipsius vita cum miraculis M.SS. in cœnobio Benedictino agri Mantuani, vt affirmat *Arnoldus VVyon.* Meminerunt etiã ipsius tã *Vrspergensis, quã Sigebertus in Chron suis. Trithemius quoq; in Scrip. Eccl.*

1089 B.Petrus cognométo Igneus Episcopus Albanensis Apost.Sedis legatus, & S.Rom.E. Cardinalis obijt anno 1089. *vt affirmat Baron.* tom. 10. annal. vbi eiusdem acta prosequitur. Faciunt & alij huius mentionem, vt *Surius to. 4. 12. Iulij in vita S. Ioannis Gualberti, Vrspergensis in Chron. Franciscus Binus, Ioannes Bapt. Hertonensis, Petrus calcearius, Ioannes monachus Vallis Vmbrosæ de Abbatibus istius loci.* Et hos citat *Bosius loco designato.*

1130 B.Hugo de S.Victore natione saxo, professione Canonicus regularis S. Augustini Parisijs, atq; ibidem Abbas à *Ciaconio* pag. 415 inter Cardinales numeratur. Hic sanctitatis opinionem consecutus est apud *Hartmannũ Schedelium, Thomam Gorzonium, Alphon. Ciaconium, aliosque diuersos scriptores.* Floruit circa annũ Domini 1130. Familiaris S. *Bernardo Abbati* Clareuallensi. Meminit etiã ipsius cum laude *Trithemius de script. Ecclesiast. & Baron. in annalibus. anno* 1196. *videturq; de ipso* loqui *Petrus Abbas Cellensis* lib.7.ep.19.

1133 S. Bernardus Parmensis Episcopus creatus est S. R. E. Cardinalis ab Vrbano 2.R.P. vt *Onuphrius testatur.* qui scribit ipsũ antea fuisse Abbatẽ Vallis Vmbrosę, Porro ipsius natalis ponitur in *martyr. Rom. 4. Decembris.* Vbi *Baronius* annotauit ipsum fuisse Cardinalem tit.S. Chrysogoni, & obiisse anno 1133. quemadmodum habet *Breuiarium Vallis Vmbrosæ.*

Non est autem hic Bernardus ille Cardinalis ac Episcopus Prænestinus, ad quem extant epistolæ Petri Abbatis Cellensis lib. 8. ep. 21. & lib. 9. ep. 1. & 2. qui apud Carthusianos lubentissimè commorabatur.

1135. B. Matthæus Gallus Rhemensis ex monacho Parisiensi ordinis Cluniacensis creatus est Episcopus Cardinalis Albanus, doctrina & vitæ sanctitate præstans. Obijt anno Domini 1135. 25. Decembris miraculis clarus, cuius vitam eleganter conscripsit *Petrus Mauritius Abb. Cluniacensis*. Ita *Ciaconius* pag. 398.

1159. S. Guarinus Bononiensis, Episcopus Cardinalis Prænestinus, (*cuius vitam conscripsit Augustinus Ticinensis, quam Surius habet* To. 7.) obijt an. salutis 1159. *Vt Carolus Sigonius demonstrat in Episcopis Bononiensibus. Ponitur hic in Mart. Rom. 6. Feb. legendus etiam est Sigonius de regno Italiæ.* Onuphrius scribit ipsũ creatum in Cardinalem à Lucio 2. P. R. anno Domini 1144. ex Canonico regulari monasterij S. Crucis de Mortario, quod est Bononiæ.

1175. S. Galdinus de Sala ciuis & Archidiaconus Mediolan. creatus est ab Alexandro 3. an. 1165. Presb. Cardinalis TT. S. Sabinę. *Ita Onuphrius.* Factus est autem postea Episcopus Mediolalensis obijtq; anno 1175. *Vt Bozius asserit. Recolit illum Martyr. Rom. 18. April. Vbi Baronius annotat Mombritiũ Tom. 1. habere ipsius res gestas, & constantissimè eundem adhæsisse Alexandro 3. aduersus schismaticos: ita vt maluerit exulem vitam agere, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Tractat de eodem Sigonius in lib. de regno Italiæ.*

1275. S. Bonauentura Balneoregiensis, ex Franciscano electus est Cardinalis à Gregorio X. obijtque Lugduni anno 1275. 3. Id. Iul. à Sixto IV. inter Sanctos relatus. *Ita Onuphrius. At Vero in Mart. Rom. ponitur prid. Id. Iulij Vitam ipsius habet Surius Tom. 4. 14. Iul. Plura adfert Henricus Sedulius in hist. seraphica ex Petro Galesinio, alijsque. Laudat etiam hunc præclarum virum Gerson supra modum.* Fuit autẽ Episcopus Albanensis, & Doctoris nomen in Ecclesia Latina meruit obtinere.

1294. B. Latinus, nobilis Romanus, ex Monacho Dominicano factus est Cardinalis Ostiensis à Nicolao 3. Patruo suo, vt Leander Albertus asserit, (vel potius auunculo, vt Onuphrius habet: qui ponit electũ an. 1278. 4. Id. Maij) & scribit obijsse anno 1294. mense Nouembri. At Onuphrius testatur Perusij Spiritum exhalasse 4. Idus Augusti, corpusq; Romam translatum ac sepulturæ traditum esse in Ecclesia S. Mariæ super Mineruam. Porro quod rei caput est, huius Natalis inscriptus est in Martyrologio PP. Prędicatorum, in quo dicitur doctrina, sanctitate, miraculisque claruisse. Quod sufficiens testimonium erit. cætera apud Leandrum lib. 3. aliosque Scriptores rerum Dominicanarum.

1387. B. Petrus de Lutzenburg, Guidonis filius, Gallus, Comes S. Pauli Diac. Card. S. Georgij in Velabro, creatus est an. 1386. à Clemente 7. *Ita Onuphrius, qui testatur ipsum Auinione obijsse an. 1387. 3. Non. Iul.* Ponit illum

eundem

eundem in Mart. suo *Canisius* 13. *Iul. Fit etiam ipsius mentio in Luscinia Spiritu-li, quam Conradus Burgenius recenter Coloniæ impreßit: Vbi recitatur oratio quædam ab ipso composita.*

1389. B. Bonauentura Patauinus ord. S. Augustini Eremitarum, Cardinalis tit. S. Cæciliæ vocatur à *Trithemio Martyr*, & à Posseuino ex Iosepho Pamphilo. Obijt anno 1389. Romæ, *vti Onuphrius notat.* 10. *Iun.*

1419. B. Ioannes Dominici Ordinis Prędicatorum, Cardinalis tit. S. Sixti Obijt Budæ in Vngaria anno 1419. *vt Onuphrius affirmat. Laudant hunc Trithemius & Posseuinus item S. Antoninus in chron. tit.* 23 *c.* 11. *qui huius viri discipulus fuit, item Albertus Leander. lib.* 3. *vbi vitam eius ponit miraculis claram.*

1443. B. Nicolaus Albergatus, de quo satis actum est. Huius res gestas si Bozius legisset, etiam absque dubio hunc inter sanctos numerasset. Sed quis potest aliquid iudicare de ijs rebus, quæ inter occultos parietes delitescunt?

1450. B. Ludouicus Almannus, Gallus, Canonicus regularis, V. I. Doctor, ex Episcopo Maclauiẽsi Archiepiscopus Arelatensis, Vicecamerarius & Prolegatus Bononiensis, electus est à Martino V. anno 1426. Presb. Cardinalis TT. S. Cæciliæ. *Ita Onuphrius, qui aßerit ipsum obijsse anno* 1450. 13. *Cal. Nouembris. Hunc Canisius ponit in suo Mart.* 20. *Octob. quem miraculis claruisse post mortem scribit Aeneas Sylvius cap.* 43. *in Europa.* Sẽsit ille quidem aliquãdo cum Concilio Basiliensi contra Eugeniũ 4. at resipuit. Cadit Iustus & resurgit. Vide obsecro, quid dicat Mart. Rom. 30. Ian. de S. Hyppolito Presb. & Mart. qui quondam Nouati schismate deceptus est, at per gratiã Dei rediit ad Ecclesiæ Vnitatẽ, pro qua & in qua postea illustre Martyriũ cõsummauit, dicens eã Fidem esse seruandã, quã Petri Cathedra custodiret.

1535. B. Ioannes Fischerus, Episcopus Roffensis in Anglia, creatus est à Paulo 3. Presbyter Card. TT. S. Vitalis: qui suam purpurã, sanguinis effusione rubricauit, atque insigne Martyriũ subiuit pro fide ac vnitate Ecclesiæ anno 1535. 23. Iun. *Ita testãtur Onuphrius, Surius in commentario, alijq; Anglicarum rerum scriptores. Ponit hunc Canisius* 23. *Iun. in Martyrologio suo.*

1584. S. Carolus Borromæus, Archiepiscopus Mediolanensis & Cardinalis creatus anno 1559. à Pio IV. Obijt anno 1584. 3. Nouemb. *Vt habet ipsius Vita.* Canonizatus est anno 1610. à Paulo V. cum ingenti lætitia populorum.

Hic subsisto. Nicolaum de Cusa, S. R. E. Cardinalem summoperè laudant Trithemius, Schedelius, & Bostius: sed non habeo sufficiẽs testimoniũ Sanctitatis. Obijt autem anno 1464. 12. Aug. Romæ sepultus, magnarum Virtutum homo, Germaniæque Sydus plæclarum.

Si quælibet Religiosorum hominum societas ex antiquis monumentis erueret suos Cardinales *sanctitate conspicuos:* ingentem sanè numerum possemus coaceruare. Verùm hoc illis relinquitur faciendum.

FINIS.

CATALOGVS SANCTORVM QVORVNDAM EX S. ORDINE CARTHVSIENSI.

NE arbitreris forsan, Candide Lector, Carthusianum Ordinem nullos alios sanctos protulisse, quàm vnicum hunc cuius vitam collegi: Volui quasi per Synopsin breuiter enumerare eos, qui sanctitatis opinionem inter nostros sunt consecuti. Et vt nihil exhibeam confusum, Chronologicam seriem obseruabo, ac distinctiones sæculorum. Neque etiam meis indulgebo affectibus: Sed ipsos authores (qui recensendis sanctimoniæ laudem tribuunt) quasi digito demonstrabo. Sciendum verò est, quod Carthusianus Ordo initium sumpserit post Christum natum sæculo vndecimo. Sæculum porro (siue Seculum à sequendo, vt alij volunt) complectitur apud Historicos spacium centum annorum.

In hoc autem catalogo S. Significat Sanctum, *B.* Beatum, P. Patrem, D. Dominum (quo titulo omnes Clericos nostri ordinis honoramus.) F. Fratrem, (ita Laicos vocamus.)

SAECVLO XI.

1084. S. Bruno, natione Germanus, nobilis Coloniensis de familia Hardefaust, Doctor Parisiensis, & Canonicus Rhemensis, inchoauit S. Ordinem Carthusianum in Sabaudiæ montibus, anno Domini 1084. circa festum S. Ioannis Baptistæ 24. Iunij. Obijt in Calabria, anno Christi 1101. 6. Octob. Relatus est Canonicè in numerum Sanctorum à Leone X. Pont. Rom. anno 1514. &c. Vitam ipsius conscripsit Franciscus de Puteo I. V. Doctor, & generalis Moderator in ordine Carthusiano. Item Petrus Blomouenna Leydensis, Prior Carthusiæ Coloniensis. Ex vtroque scriptore Surius aliam confecit Tom. 5. Tractant de eodem S. Patriarcha nostro Arnoldus Bostius Carmelita cap. 1. Petrus Dorlandus lib. 1. per tot. Item Petrus Sutor pag. 527 Coloniensis edit. MSS. Authores, quos habeo, in aliud tempus reseruabo.

1084. S. Hugo, Episcopus Gratianopolitanus, & cooperator in fundando ordine Carthusiano, locum primis Initiatoribus designauit ac dedit, vixitq; inter illos humilis Eremita. Obijt anno Domini 1132. 1. Aprilis. Canonizatus est ab Innocentio II. Pon. Rom. qui eodem tempore Ecclesiam rexit. Vitam ipsius conscripsit Guido de Castro, V. Generalis in Ord. Carthus. habet eandem Surius Tom. 2. Plura habentur apud Bostium, Dorlandum, Sutorem, aliosque.

1090. *B.* Lauduinus, 2. Generalis Ord. Carth. (vt pote qui S. Brunoni suc-

cessit anno 1090. eo scilicet tempore, quo ipse Romam profectus est ad Rom. pontif.) Vir & doctrina & sanctitate conspicuus. Hic cum S. Brunonē in Calabriæ eremo latitantem visitasset, in reditu à Guiberto anti papa interceptus est, & carceri mancipatus, in quo feliciter pro Iustitia & Vnitate Ecclesiæ mortem subiuit, anno Domini 1100. 31. Martij, SS. Martyribus & Confessoribus annumerandus &c. Tractat de ipso Dorlādus l. 4. c. 1. & 2. Item Canisius in Martyrologio suo Germanico.

SAECVLO XII.

1133. B. Auduinus Lotharingus, fuit vnus ex iis Monachis Maioris Carthusiæ, quos nix de altissimis montibus cadens extinxit. Contigit hoc sub B. Guidone V. generale, anno regiminis eius 23. qui cum præesse incæperit anno Domini 1110. Sequitur hanc calamitatem accidisse anno. 1133. Verum hic Lotharingus die 12. de Voragine erutus, integrum adhuc habuit sensum & loquelam miræque dulcedinis verba locutus, atque Ecclesiæ Sacramentis munitus, placidissimo fine quieuit. &c. Lege Sutorem pag. 529. & Dorlandum lib. 4. cap. 3. qui insinuat hunc fuisse singularem cultorem S. Barbaræ V. & M. cuius meritis factum sit, vt absque præuijs sacramentis nō sit extinctus.

1137. B. Guido de Castro, Vir doctissimus ac eloquentissimus, Quintus Ordinis nostri Generalis, & S. Bernardo Abbati Clareuallensi amicissimus sanctitatis titulum obtinuit à Dorlando lib. 4. cap. 3. à Sutore pag. 528. & obijt anno Domini 1137. 27. Iulij, cuius natalem Canisius inseruit Martyrologio sanctorum. Tractat de eodem Bostius cap. 2.

1138. B. Hugo, ob eximiam sanctitatem successor S. Hugonis Epis. Gratianopolitani, ac deinde Archiepiscopus Viennensis, floruit circa annum Domini 1138. Vide Dorlandum lib. 4. cap. 8. & Sutorem pag. 529. Ponit hunc Canisius in Mart. 1. April. Consule insuper Petrum Veneran. Ab. Clun. lib. 6. ep. 10. 11. & 12. Vbi agit de hoc Hugone.

1139. B. Hugo, VI. Generalis Ord. nostri, discipulus & successor B. Guidonis, fuit tantæ probitatis, vt vix ei similis in Ordine posset inueniri. &c. Ita Sutor pag. 529. Vbi illū inter sanctos reponit. Floruit autem anno Domini 1139. quando ab officio absolutus est, Vitæ solitatiæ flagrans amore. Ita habeo ex MS. Chronico Carthusiæ Maioris.

1140. B. Bernardus, Prior Portarum: cui S. Bernardus Ab. Clareual. dedicauit sermones in Cantica Canticorum: fuit Vir sanctitatis gloria insignis, vt constat ex Bostio cap. 3. Sutore pag. 532. & Dorlando lib. 4. cap. 9. Fit etiam mentio ipsius in Vita S. Anthelmi, apud Surium Tom. 3. 26. Iun. & in Vita S. Stephani, Tom. 5. 7. Sept. &c. Floruit hic B. Bernardus circa annū Domini 1140. obijtq; 17. Decemb. Vt habet Canisius in Martyrologio suo.

1162. S. Anthelmus, ex nobili genere in Sabaudia oriundus, factus est Ordinis nostri Monarcha anno 1139. præfuitque annis 12. Postea electus est ad Episcopatum Bellicensem, in quo sedit annis XV. peruenitq; ad annum Domini 1162. & obijt 26. Iun. relatus in numerum sanctorum in Mart. Ro. Vitam habet Surius To. 3. &c. Plura in Dorlando, Sutore, & Bostio. &c.

1169. B. Simon, Prior Carthusiæ Montis Dei, & aliquando Prior Parisiensis vocatur in epistolis Ioannis Sarisberiensis Vir sanctissimus. Ita testatur Iacobus Sirmundus ad epistolam XI. lib. V. Petri Ab. Cellensis. Idem Simon functus est legatione ad Regē Angliȩ Henricū pro S. Thoma Episcopo Cantuar. missus ab Alexandro 3. P. R. &c. Vide Baronium Tom. 12 anno. 1169.

Dies obitus eius ignoratur: quem eiusdem loci Carthusiani scient.

1173. B. Basilius VIII. Generalis in Ord. nostro, doctrina sanctimoniaque excellenter ornatus fuit. Huius rei testes habeo Bostium cap. 5. Dorlandū lib. 4. cap. 14. & 26. Sutorem pag. 539. qui etiam testātur eundem miraculis claruisse. Obijt autem Vir sanctus anno Domini 1173. 14. Iun. positus in Mart. Canisij, præfuitque annis 23. cum summa laude.

1190. B. Odo Nouariensis, ex Carthusiano factus est Abbas Iaderæ in Sclauonia. Verū ob varias persecutiones ad suos Carthusianos reuersurus, mansit Taliacori apud quandam Abbatissam, quæ istam licentiam à Rom. Pont. obtinuerat. Floruit sub Clemente 3. R. P. circa annū Domini 1190. obijtque. 14. Ian. viuus ac defunctus miraculis coruscans. Hinc Gregorius IX. si diutius superuixisset, voluit ipsum referre in Catalogum Sanctorum. Tractat de ipso Bzouius Tom. XIII. Annalium, anno 1240. num. 15. qui primus omnium ipsius sanctimoniam in lucem produxit, ex publicis Instrumentis Curiæ Romanæ.

1200. S. Hugo, Episcopus Lincolniensis in Anglia ex Carthusiano, satis superque celebris habetur &c. Vitam habet Surius To. 6. Plura alij de ipso. Obijt anno. 1200. testibus Bostio c. 6. & Sutore pag. 545. & quidem 17. Nouem. in Mart. Rom. publicè canonizatus ob miracula.

SAECVLO XIII.

1213. B. Stephanus, ex Carthusiano Episcopus Diensis, sanctitate miraculisque floruit in vita & post mortem. Id asserunt Bost. c. 7 Dorland. l. 4. c. 10. &c. Sutor pag. 547. &c. Obijt autem anno 1213. 7. Sept. quo die vitam ipsius ponit Surius. Meminit ipsius etiam Canisius in Mart. suo eodem die.

1233. B. Iancelinus. X. Generalis, maximæ Vir sanctitatis fuit, & quasi Vnus de antiquis Patrib. qui Ordinis monarchiā administrauit annis 60. obijtque anno Domini 1233. 26. Febr. quo die in Mart. Canisij sanctis annume-

meratur. Tractant de ipsius sanctitate Dorlãdus l.4.c.15.&Sutor pag.547.
1248. B.Martinus XI. Generalis, Vir scientia, sanctitate & authoritate clarissimus (Vt asserit Dorlandus l.4.c.16.) obijt anno 1248. habens etiam sanctitatis laudem ex chronico MS. Carthusiæ Maioris. Diem emortualem non inuenio.
1255. V.P.Martinus de Lauduno, Prior Vallis S.Petri in Picardia, ob sanctitatem celebris (Vt Posseuinus ait in Apparatu) floruit circa annũ Domini 1255. quantum colligere ac diuinare possum ex Priuilegijs Ordinis nostri fol. 12. Reliquit vero artificiosam epistolam ad Nouitium quendam, quæ impressa habetur. Cætera alij indagabunt.&c.

SAECVLO XIV.

1305. B. Margareta Priorissa in Carthusia Monialium diæcesis Lugdunensis, floruit circa annũ Domini 1305. quæ ob Virginitatis puritatem Christo Domino admodum familiaris fuit, ita vt ipse Saluator non secus cum ipsa loqueretur in visibili persona, ac quondam cum sua Martha & Magdalena. Tractat de ipsa Dorlandus lib.5.cap.3.Et Canisius eandem ponit in Martyro 30. April.
1305. B. Beatrix Moniali eodem loco ac tempore vixit sanctitate conspicua,& singularis amatrix SS. Vulnerum D. N. IESV Christi. Scribit de ipsa Dorlandus l.5.c.4.& Canisius 13.Febr.
1313. B.Boso XVI.Generalis,tantę fuit sanctitatis,vt mortuum resuscitarit;obijt autem anno 1313. 4.Martij. &c. Huic testimonium sanctimoniæ perhibent Bostius cap.XI.Dorlandus l.4.c.17.Sutor pag. 549. Canisius in Mart. Bzouius Tom. 14. Annalium.
1319 B. Petrus Fauerij, ex Monacho Carthusiæ Maioris, factus est Prior Romæ, totiusque ordinis Procurator generalis. Obijt autem anno 1319. 29. April. De cuius sanctitate scribunt Dorlandus l.4.c.19.Sutor pag. 550. Canisius in Mart.& Bzouius Tom.14. Annalium.
1331. B.Haymo XVII.Generalis,etiam à Dorlando l.4.c.18.ob sanctitatem laudatur: Obijtque anno 1331.28.Octob.
1336. B. Ioannes Tornerij, professus & Procurator maioris Carthusiæ, ob sanctimoniam laudatur à Dorlando l.4.c.20. & à Sutore pag 520. & à Bzouio Tom. 14. Annalium, ponitur que à Canisio inter Sanctos 30. Septemb. & 15. Decemb. &c. Floruit autem circa an.Dom. 1336. vt habeo ex chronico MS.
1341. B. Clarus XIX. Generalis, tantis virtutibus ornatus erat, vt vix in tota ecclesia inueniretur illo præstantior, &c. Vide Dorlandum l.4.c.20. & Sutorem pag.552.&c. Obiit autem anno.1341. 16. Iulij, vt habeo ex antiquis monumentis.
1360. B. Ioannes Birellus XXII. Generalis, vir eximiæ sanctitatis, obiit

anno

anno. 1360.6. Ianuarij. De quo Bostius cap. 10. Dorland. l. 4. c. 22. Sutor pag. 555. & Chronicon MS.

1362. B. Iacobus de Viuiaco XX. Generalis, quasi Angelus Dei fuit suo tempore, & post obitum miraculis clarus. Obijt autem anno Domini 1362. 30. sept. &c. Lege Dorland. l. 4. c. 21. & sutorem pag. 553. Bzouium Tom. 14 Annalium, & Canisium in Mart.

1367. B. Helisarius, Vir magnæ sanctitatis (vt ait Sutor pag. 561.) obijt anno 1367. XI. Iun. vt asserit Dorlandus l. 4. c. 23. &c. Fuit vero XXIII. Generalis annis 7.

SAECVLO XV.

1377. V. P. Ludolphus saxo, cum cirtiter Viginti & sex annos inter Patres Ordinis Prædicatorum sanctè vixisset, desiderio solitudinis & cœlestium rerum contemplationis maioris incensus, ad Carthusianos se contulit: quorum habitum, vt vocant, Argentinæ suscepit. Ita Posseuiuus in Apparatu. Floruit autem in Carthusia Argentinensi anno Domini 1330. Vt Trithemius, & Sutor affirmant. Cæterùm anno 1343. electus est primus Prior Carthusiæ Confluentinæ, præfuitq; annis quinque, & absolutus est an. 1348 ad suam instantiam, & ad sedandum scrupulum conscientiæ suæ, vt loquũtur antiqua monumenta. Vixit deinde annis 30. in Carthusia Moguntina (in qua etiam feliciter obdormiuit) nõ ad otium, sed vt librorum compositioni posset vacare liberius, habens singulas bibliothecas visitandi gratiã; Vt testatur Bostius cap. XI. Obitus ipsius ponitur in chartis capituli generalis anno Christi 1378. Dies emortualis incidit in X. Aprilis, vt habeo ex Carthusia Confluentina. Veruntamen, quod rei caput est, fuit vit doctrina & morum sanctitate conspicuus, qui vitam D. N. IESV Christi cælesti quodam artificio, imo Diuina potius reuelatione, quam studio fabricauit; vt scribit Hartmannus Schedelius in chronico suo. &c. Porro vita Christi hoc anno elegantior prodit ex typographia Antuerpiensi.

1406. Hic ponendi essent Pragenses isti Carthusiani, (quos an Confessores, an Martyres appellabo?) qui à Ziska Hussitarũ Principe de suo asceterio expulsi fuerunt, & in carcerem coniecti. at DEVS ipsos præclaro miraculo honorauit. Agit de ipsis Bonfinius lib. 2. dec. 3. an. 1406. Nauclerus anno 1419. & Aubertus Myræus in Originibus Carthusianis.

1408. B. Henricus Kalkar, professus ac Prior Coloniẽsis Carthusię, vir haud exiguę fuit sanctitatis: de quo alibi fusius. Obijt an. 1408. 20. Decemb. quo die Canisius ipsum refert inter Sanctos. Tractant alioquin de ipso Trithemius, Bostius, Sutor, Item Dorlandus lib. 5. cap. 10.

1419. R. P. Bonifacius Ferrarius, S. Vincentij Dominicani frater Doctor Iuris, & XXV. Generalis: laudatur ob sanctitatem à Bostio cap. 15. & Dorlando lib. 4. cap. 25. Obijt anno. 1419. 29. Ap. vt eruderaui ex antiquis monumentis.

1420. D. Gosvvinus siue Osvvinus de Beka, obtinuit sanctitatis opinioné ex Bostio cap. 19. & Dorlando lib. 7. cap. 36. Fuit autem I. V. Doctor, & Prior iuxta Diuionem floruitque circa annũ Domini 1420. Meminit ipsius etiam Sutor pag. 592.

1424. R. P. Stephanus Senensis S. Catharinæ Senensis quondam amanuensis, sanctè vixisse scribitur à Dorlando lib. 7. cap. 35. Hic fuit per annos 12. Ordinis nostri Generalis, obijtque anno 1424. 7. Aug. Vt certissimis documentis probatur. Facit eiusdem mentioné Bostius. c. 16. & Sutor pag. 591.

1430. D. Petrus Petronius Senensis, Pater sanctitate Venerabilis, ac miraculis clarus, floruit anno Domini 1430. Vide Dorland. l. 5. c. 1. Cæterum Augustinus Dathus in oratione de laudibus. S. Bernardini Senensis vocat ipsum Virum plenum spiritu sancto.

1437. R. P. Guilhelmus de Mota, XXVII. Generalis, reputatus est in vita Iustus & sanctus & post obitum miraculis claruit. Obijt auté anno 1437 18. Iun. &c. Hæc ex Sutore pag. 563.

1443. B. Nicolaus Albergatus, etiam hic suo loco reponi debet: qui obijt anno 1443. 9. Maij. S. R. E. Cardinalis atque Episcopus Bononiensis Authores citare superfluum erit, cum suo loco recenseantur.

1446. P. Bartholomæus, Prior Ruremundanus, & Visitator prouinciæ Rhenanæ, atque S. Th. Doctor etiam inter sanctos locũ inuenit apud Dorlandum lib. 7. cap. 5. &c. Obiit Coloniæ in Carthusia anno 1446. ibidemque sepultus. Scribunt etiam de ipso Bostius cap. 24. & Sutor pag. 594.

1461. P. Dominicus, Vicarius Carthusię Treuirensis, plurimum laudatur à Dorlando lib. 7. cap. 2. 3. & 4. Obdormiuit in Domino anno Christi 1461. 21. Decemb. vt assero ex antiquis documentis.

1470. P. Cæsarius Raso, Monachus in Carthusia Capellæ, vir iustus ac timoratus, quem B. Virgo Maria ægrotantem visitauit, ac migrantem ex hac vita in sinũ suum suscepit, obdormiuit circa ann. 1470. valde commendatus à Dorlando l. 7. c. 26.

1470. P. Hugo Boletus Delphensis, professus in domo capellæ, & aliquando Prior Montis Dei, magnus paupertatis amator, cuius vita fuerat forma virtutis: floruit circa ann. 1470. Dorlandus l. 7. c. 29.

1470. P. Ioannes Theodorici etiam Delphensis, eiusdem loci Monachus eodem tempore vixit vir sanctæ ac innocentis vitæ. &c. Dorl. l. 7. c. 30.

1470. P. Arnoldus Carmanus, Prior domus nominatæ, & Visitator Prouinciæ Theutonicæ, ab eodem Dorlando sanctis annumeratur l. 7. c. 32. qui asserit eum claruisse. ann. 1470.

1470. P. Arnoldus de monte S. Gertrudis in Hollandia oriundus, in domo capellæ vicarius & Procurator, hic præteriri non debet: quoniã Dorlandus ipsum laudat lib. 7. c. 33.

1470. P. Gerardus Bredanus eodem vixit tempore in eodem loco, illustri sanctimonia clarus, vt affirmant Dorland. l. 7. c. 27. Item Bostius cap. 33 vitæ sanctitate ipsum mirabilem fuisse testatur. Item Sutor pag. 601. vitæ sanctimonia clarum scribit.

1471. P. Guilhelmus Apselius, patria Bredanus, Prior Carthusię Brugensis, vitæ austeræ & sanctæ, migrauit ad æternam vitam anno salutis 1471. 5. Aug. vt Bostius habet cap. 30. cum annis 40. laudabiliter inter Carthusianos vexisset. Ita Dorl. l. 7. c. 28.

1471. P. Dionysins Rikel, Carthusiæ Ruremundanæ Professus, Doctor extaticus atque illuminatus, fuit suo tempore admirabilis, ideoque sanctitatis nomen apud posteros est consequutus, obijt anno 1471. 12 Mart. De ipso agũt Bostius c. 29. Sutor pag. 598. Dorl. l. 7. c. 6. Imo Episcopus Ruremundensis D. Henricus Cuckius, si superuixisset, volebat vrgere ipsius canonizationem in Curia Romana.

1471. P. Hermannus Appeldorn Xantensis, Prior Colonien. & visitator prouinciæ Rhenanæ, fuit summæ Innocentiæ & virrutum omnium præclaris dotibus egregie ornatus. Quapropter summopere laudatur in antiquis monumẽtis huius Carthusiæ; Fuit etiã olim Prior Treuirensis. Obijt autem deuotissimè anno 1472. 17. Sept. Confluẽtiæ in actu visitationis, ibidemque sepultus, expectat nouissimam tubam.

1477. P. Laurentius Musschelius, Prior domus Capellæ in Hannonia prope Angiam, tantis virtutibus præditus erat, vt ab omnibus sanctus reputaretur. Fuit autem singularis cultor S. Catharinæ V. & M. & cum suo paruulo & Agno D. N. Iesu Christo die nocteque se occupauit, & beatissimo fine obdormiuit, anno 1477. 3. Decemb. Vide Dorlandum lib. 7. cap. 25. Scribunt de eodem Bostius cap. 35. & Sutor pag. 602.

1481. P. Henricus Loenius Louaniensis, Doctor insignis, Prior Capellæ, & visitator Teuthoniæ, Vir vitæ sanctissimæ: qui ad cœlestia euolauit anno 1481. Hic aliquoties inter celebrandum solitus erat in aërem cum corpore sustolli, ob feruorem deuotionis. Dorlandus lib. 7. cap. 31. Agit de eodem Bostius cap. 34. Item Sutor pag. 602. Fuit aliquando Prior Bruxellensis.

1491. P. Ioannes Aldenardus, quasi alter Samuel Deo consecratus in domo Capellæ sacristam egit annis 35. Speculum virtutis & sanctimoniæ, Innocens, purus, feruens, & singulari gratia decoratus: cum hic in terris Deo Opt. Max. in Ordine Carthusiano annis 50. syncerissimè seruijsset. transijt ad cælestem patriam pro æterna mercede accipienda, anno Christi 1491. 21. Nouemb. ipso festo præsentat. B. V. Mariæ. Dorlandus hunc virum summoperè laudat lib. 7. cap. 34.

SAECVLO

SAECVLO XVI.

1502. P. Ioannes de Virduno olim Decanus Virdunēs. Prior Mōtis Dei in Picardia, quemadmodum laudabiliter vixit, ita miraculosè obijt anno 1501. 27. Sept. Cum etenim lumen incaute relectum in cubiculo, totam cellam dormientis incendisset ac incinerasset: ipse toto corpore integer inuentus est. Quid hoc est? Nunquid elementum insensibile honorauit vas illud purum & immaculatum? Possem hanc rem pluribus confirmare: sed oportet hic esse succinctum. Si elementum illud corpori tantum reuerentiæ impendit: quo gaudio putamus animam illibatam à SS. Angelis susceptam? Accedit hisce optimum testimonium, quod vir ille admodum Religiosus habet in istius Carthusiæ monumentis.

1509. R^mus P. Antonius Surianus, ex Carthusiano Patriarcha Venetorum & Dalmatiæ Primas constitutus, integerrimæ & laudatissimæ vitæ fuit. De quo Dorlandus lib. 7. cap. 37. ex Francisco Philomuso Pisauriensi, obijt circa ann. Domini 1509. Vt habeo ex chartis cap. general.

1530. Circa hunc annum aliquot Carthusiani in domo Morbacensi prope Viennam à Turcis interempti, Martyrij palmam promeruerunt, testem habeo Myræum in orig. Carth.

1530. P. Andreas Prior in domo Seitz prope Ciliam in Sclauonia, circa hunc annum à Turcis captus, tortus & occisus est. Ita ostendit charta cap. gen. anni sequentis.

1531. P. Guilielmus Tynzbi Hybernus, Prior Londinensis in Anglia, quasi alter Antonius Eremita fuit suo tempore. Valde hunc virum laudat Mauritius Chancæus cap. 8. obitum ipsius reperi in Chartis Cap. gen. anno 1531.

1535. Hoc anno 4. Maij in Anglia occisi sunt tres Priores Carthusiani, & ad Sanctorum Martyrum gaudia in cælum migrarunt.

1. V. P. Ioannes Heugthon, Prior Londinensis, vir magnæ doctrinæ sanctimoniæque, plurimum laudatus à Mauritio Chancæo cap. 2. 3. 4. &c.
2. V. P. Robertus Laurens Prior Bellæ Vallis, Professus Londinensis, vir planè religiosus.
3. V. P. Augustinus VVebstez, Prior Visitationis B. V. Mariæ, &c. De hisce Chancæus cap. 12.

1535. Eodem anno 19 Iunij, alij tres Londinenses Carthusiæ Palæstritæ egregij Martyrij coronam adepti sunt.

1. V. P. Humfridus Middelmore, Vicarius, & antea Procurator eiusdem domus.

2, V.P.Guilhelmus Meuvve Procurator, & olim Vicarius, eximiæ vir sanctitatis,& apprimè doctus.

3. V.P.Sebastianus Nendegate,genere nobilis,dignitate sacerdos,&c.De quibus Canchæus cap.13.

1536. V.P.Petrus Blomouenna Leydensis,annis 30. in Carthusia Coloniensi Prior,vir innocens, pius,contemplatiuus,Illuminatus & sanctus, obiit anno 1536.30.Sept.Cuius vitam conscripsit P. Theodoricus Loherius, ipsius discipulus præclarus.

1537. Hoc anno,XI. Maij,ex Carthusia Londinensi sacerdotes duo Martyrij aureolam consecuti sunt:

1. V.P.Ioannes Rochestez.
2. V.P.Iacobus VVaunert.

} Vide Chancæum cap.15.

1537.Eodem anno,29.Maij,in Anglia 9. Carthusiani incarcerati, atque ex ergastuli fœtore extincti, Martyrum gloriamperceperunt. Quorum nomina sunt ista.

1. D.Richardus Beerez,
2. Thomas Iohunson,
3. D.Ioannes Greenetz.

} Sacerdotes Dei.

4. D.Ioannes Danij,
5. F.VVilhelmus Grenevvode,
6. F.Thomas Schynen,
7. F.Robertus Salte,
8. F.VValterus Person,
9. F.Thomas Redyng.

} Conuersi Laici.

De hisce prolixius Chancæus narrat cap.14.

1539. V.P.Ioannes Iustus,natione Bauarus,ex Lanspergo oppido oriundus,Vicarius Carthusiæ Coloniensis,& olim Prior Cantauiensis, obijt anno 1539. XI. Aug.cuius animam SS.Angeli cum gaudio ad cælestem patriam perduxerunt.Vir verè sanctus multorū ex testimonio.Vitam ipsius conscripsit P. Bruno Loherius discipulus eiusdem , & Vicarius Colon. De hoc autem piissimo Patre alibi fusius tractabo.

1541. F.VVilhelmus Hornæ,Conuersus Carthusiæ Londinensis anno 1541.4.Nouemb. Martyrio in Anglia affectus est. De quo Chancæus cap..14.

1572. Hoc anno Ruremundensi in Carthusia occisi sunt XII. Carthusiani quorum certamen discripsit B.Arnoldus Hauensius S.Th.Doctor,& Prior Gandensis Carthusię,subierunt autem mortem 23.Iulij,quorum ista sunt nomina;

1. P.Matthias Coloniensis,senex.
2. P.[illegible]smus Traiectensis,senex.

3. D. Vincentius ab Herck, Sacrista.
4. D. Ioannes Leodiensis, sacerdos.
5. D. Seuerus Confluentinus, hospes.
6. D. Guilhelmus VVellen, procurator,
7. D. Iohannes Levvis, sacerdos,
7. D. Henricus VVellen, Diaconus.
9. D. Ioannes Gressenich, Diaconus.

} Sacerdotes

10. F. Stephanus Ianitor, conuersus.
11. F. Albertus Coquus, apoplecticus,
12. F. Iohannes Sittard, Pistor.

} Laici.

CONCLVSIO.

Paucos hosce raptim ac festinanter collegi, vt darem alijs occasionem plures inuestigandi. Neque omnes posui, quos scio: sed illos tantummodo, qui apud publicos & probatos Scriptores de sanctimonia vitæ celebrantur. Anonymos præterea & quorum tempus (quo scilicet floruerũt) ignorabam, volens præteriui. Alioquin ex Dorlando ponendi fuissent.

F. Guilhelmus, Conuersus Carthusiæ Genuensis: cuius natalis ponitur in aucto Martyrologio V suardi, & Canisij. 19. Decemb. Vide Dorl. l. 5. c. 2.

Item D. Stephanus Flander, Monachus in Anglia apud ciuitatẽ Henton, singularis amator B. M. Magdalenæ Vide Dorl. l. 5. c. 4.

Item D. Albertus Arnheimiensis, Prior domus Monachorũ in Geldria, qui cælesti concentu recreatus ex hoc sæculo migrauit ad gaudia æterna. & c. l. 5. c. 13.

Petrus etiam Blesensis exponens caput 2. Iob laudat quendã F. *Gerardum Conuersum* Carthusiæ maioris, virum in SS. scripturis admodũ illuminatum. Sed viuum laudat, non defunctum. Omnis autem homo mutabilis, quamdiu est in stadio huius vitæ. alioquin Blesensis floruit anno 1160.

Scio præterea alios, tam ex Carthusia Coloniensi quam ex alijs domibus: qui meritò in hunc Catalogum deferendi fuissent: at ego innitor censuræ publicorum scriptorum: reliquos in suum locum ac tempus reseruans, dè quibus pleniorem opto exspectoque informationem.

Sed quid opus est pluribus verbis, si benè considerentur ea, quæ Dorlandus scribit lib.5.cap.26. & 27. Item Sutor pag. 523. 524. & 525. facilè apparebit, Carthusianos sanctis Viris non esse destitutos. Quid? nonne verus Carthusianus est quoddam simulachrum sanctitatis & miraculum mundi? Nos ad SS. PP. nostros in Christo defunctos, & iam in æternum felices suspiremus eisdem verbis, quibus olim S. Augustinus in Meditationibus suis cap.24.

Felices sancti Dei omnes, qui iã transiistis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruistis ad portũ perpetuæ quietis, securitatis & pacis; securi & trãquilli semper q̃ festiui atq; gaudẽtes estis. Obsecro vos per vestrã charitatẽ qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis; securi estis de vestra immarcessibili gloria, soliciti estote de nostra multiplici miseria Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iã satiamini, de cuius immortalitate iã immortales facti estis, de cuius Beatissima visione semper gaudetis: estote iugiter memores nostri subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ circũstantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnã surrexistis altitudinẽ adiuuate nos vile pauimentũ lõge inferius iacẽtes Date manum, & erigite iacentes super pedes vt conualescentes de infirmitate fortes efficiamur in Bello. Intercedite & orate constanter pro nobis miseris multumq; negligentibus peccatoribus; vt per vestras orationes vestro sancto consortio coniungamur: quia aliter salui esse nõ possumus. &c.

Et S. Ephrem. Syrus in sermone quodam de SS. Patribus, qui in sancta pace requiuerant.

Beati estis Vos, qui Christi amore ac desiderio benè prudenterque magna cum vestra patientia scapham vestram in terra tutò in mandatis Christi Optimi Domini direxistis: quapropter ad tranquillum iam portum peruenistis & Christum recepistis, quem tantopere desiderastis atque amastis Nunc vero gratulamur vobis, ô Beati: quoniam laqueos inimici effugistis, & ad Christum qui vos coronauit peruenistis, factique hæredes æterni regni ipsius modo estis. Cui gloria in sempiterna sæcula. Amen.

FINIS.

